



**Dissertationis theologicae ad textum Marci cap. 3, vs 28, 29,
30 de peccato in spiritum sanctum in aeternum non
remittendo pars altera**

<https://hdl.handle.net/1874/255737>

DISSERTATIONIS
THEOLOGICÆ

AD

Textum Marci cap. 3. vs. 28. 29. 30.

DE

Peccato in Spiritum Sanctum in æter-
num non remittendo.

PARS ALTERA.

QUAM

SUB PRÆSIDIO

D. HENRICI PHILIPONEI

DE HAUTECOUR,

SS. Theologiæ Doctoris & Profess. Ordin.

Publicè defendet

JOANNES EMMO EMMIUS,

Nordâ-Chaucus.



FRANEQUERÆ,

Apud FRANCISCUM HALMAM, Illustr. Frisicæ Orddi
atque Eorund. Academiæ Typograph. Ordinar. MDCCLII.

VIRO Plurimum Reverendo, ac Doctissimo

Dno. HENGONI EMMIO,
Ecclesiæ, quæ colligitur Christo Reiderio-Midlumi Frisiorum Orientalium,
Pastori Vigilantissimo, veritatis, quæ est secundum pietatem, Vindici Acerri-
mo, Parenti meo omni filiali obsequio & pietate prosequendo.

VIRO Amplissimo, Prudentissimo, atque Experientissimo

Dno. JOHANNI AB HONARD,
Serenissimi Brunsvicensium, Luneburgensium & Zellæ Ducis Primario agge-
rum Curatori & Inspectori, (Ober-Teich-Graff) Mathematico Celeber-
rimo, Avo & Patrono meo, quoad vixero, colendo, amando.

VIRO Maximè Reverendo, Clarissimo ac doctissimo

Dno. TACONI HAJONI AB HONERT,
In Ecclesia, quæ Christo colligitur in Populosissima ac Celeberrima Amste-
læ-Damensium Civitate, Divinorum Oraculorum Interpreti Fidelissimo,
Optimo, Singulari Facundia Pollentissimo, Avunculo, Patrono, Mæcenati,
atque Fautori meo, ad bustum quovis devotionis cultu devenerandissimo.

VIRO Consultissimo, Dignitate ac Prudentiâ Spectatissimo

Dno. JOHANNI AB HONARD,
J. U. D. Peritissimo, Amplissimi Provincialis in Orientali Frisiâ Consistorii
Judicialis Assessorii Gravissimo, Magni Nominis Causarum Forensium Patrono,
Juris & Justitiæ Defensori Srenuo & Indefesso, Avunculo, Mæcenati, Euer-
getæ ac Hospiti quondam meo ad rogam Suspiciendo ac Venerando.

*Patri, Avo, & duobus Avunculis, partim in Ecclesiis suis Myste-
riorum Christi V. & N.T. ôινοπομοις Fidelissimis, partim de
Rep. Patria & Ecclesia optimè meritis, Singulis Rerum
meorum Promotoribus Faventissimis, ideoque ad supre-
mum usque d' em omni officiorum genere, eâ qua par
est observantiâ prosequendis, quo etiam jure, hoc
qualecunque Studiorum meorum prætium*

εἰς Φελίως APPABΩNA

L. M. Q. inscribo

J. E. E M M I U S,
Defendens.



DISSERTATIONIS
THEOLOGICÆ

Ad Textum Marci cap. 3. vs. 28. 29. 30.

DE

Peccato in Spiritum Sanctum in
æternum non remittendo.

PARS ALTERA.



Uia distinximus *Veteres Judæos*, ab iis qui fuerunt temporibus Christi loquentis *Posteriores*; *Recentiorum* istorum placita ad examen revocasse operæ pretium erit. Hinc enim apparebit à *posterioris ævi* Judæis, sicut & ex *Gentilibus Platoniceis* à quibus illi *Judæi* sua acceperant, *Pontificios* suam de *Purgatorio* doctrinam hausisse; nec verò ex *Evangelicâ Historiâ*, ubi de peccato adversus *Spiritum S.* nec in presenti, nec in futuro seculo remittendo, agitur, *Pontificium dogma* posse confici, vel adstrui.

Veteres Judæos nulla agnovisse peccata, quæ post mortem abstergerentur sensu *Pontificiorum*, jam *Thes. xx.* videmus. Illud idem insuper evincunt gravissimæ rationes. I. Quod ejusmodi *Purgatorii* nullum extet in *Lege Dei* fundamentum.

mentum, undè potuisset illud sese Pristinis Judæis approbare. Quantumvis enim Lex *Mosis* commemoret sacrificia & propitiationes pro omni genere peccatorum, & immunditii, Leprâ, & contactû cadaveris, &c. Nullibi præscribit illa pro mortuis fieri; & Deo exhiberi ullum cultum pro ipsorum solatio & requie. 2°. Nulla etiâ illius (ut à Viris Doctis est observatum, vide Cl. *Windet Doctorem Angium* Tract. de vitâ Functor. statû Sect. 8.) mentio occurrat in Scriptis Judaicis, *Gemará* antiquioribus; Nihil paritèr de illo habeant *Targumim*; nihil *Philo*, nihil *Iosephus*, nihil *Mishna* scriptum antiquum. 3°. Nec etiâ *Orationis pro Mortuis*, huic dogmati ex sententiâ Pontificiorum, necessariò adnexæ, ulla unquam mentio facta fuerit à Christo, vel *Apostolis* in scriptis *Evangelicis*; immò iis in locis, ubi maximè è re fuisset meminisse illius, si fuisset recepta doctrina talis: v. g. in Disputationibus adversus *Sadduceos*, animorum immortalitatem, & corporis resurrectionem negantes. videantur loca *Matth. 22. 23. act. 23. 8. &c.* Quomodò enim potuissent dogmata impia illa convelli evidentius, quàm ex doctrinâ *Orandi pro Mortuis*, Hoc est pro *Mortuorum* vel requie, vel resurrectione, quæ à Deo in *Scripturis* præciperetur; quæque ab antiquo, in *Ecclesia Dei* recepta demonstraretur? Immodò verò, si ab antiquo recepta fuisset; vix capi potest, quomodo unquam *Judais* in ejusmodi *Disciplinâ* edoctis, ad *Sadduceismi* impietatem prolabi contigisset; usque adè vis & Lux hujusmodi *Orationis pro Mortuis* magna est inquit *Dallens noster*, adversus *Sadduceismum*: „Profectò inquit, non fit verisimile, jam tùm apud Judæos receptas, ac solennes fuisse istas pro mortuis preces, quæ vel unquam ad istorum amentiam aut coercendam, aut certè conterendam, sufficiebant. Ita ut, haud immeritò *Vir Doctus* & excellens existimet *Judæos posterioris ævi*, propter robur quod isti inesse argu-

argumento adversus *Sadduceos* cernebant, ex odio etiã
 & detestatione *Sadducaismi*, quem omni ratione impetere
 & convellere amabant, inductostandem, ut apud se istam
pro mortuis orandi consuetudinem primũ recipere; quæ
 postmodũ in ipsorum Gente admodum invaluerit. „*vi-*
 „*dentur* inquit, ut exstaret suæ de *Resurrectione* fidei pub-
 licum aliquod in ipso cultũ contrã *Sadducaorum* impieta-
 „tem testimonium atque monumentum, primò instituisse,
 „ut qui in suã Religione mortui essent, ii in Sacris com-
 „memorarentur; quo scilicet omnes intelligerent se istos,
 „tametsi hãc Mundi luce carentes, non tamen extinctos,
 „penitusque deletos existimare, sed *Deo vivere* olim ab
 „illo resuscitandos. Ex quibus initiis (*inquit*) factò gradũ
 „mox inventum, ut & *preces pro istis fierent*; Quarum
 „(ut ex *Maccabaico* loco *2 Macc. 12. v. 44.* videre est)
 „non alia primò ratio erat, quàm ut *Mortuis* suam in
 „beatã *Resurrectione* sortem peterent; mox (ut fit, ubi
 „à verbo Dei semel disceditur) in alia etiam itum est. *ha-*
 „*ecenus Dallaus de Pœnis & Satisf. lib. 5. c. 1.*

Hinc sanè conficitur, Recentius esse de *Purgatorio* Ig-
 ne *Pontificiorum* commentum, *Veteribus Judais* tempori-
 bus *Christi* ignoratum; Illiusque arcessendam originem, non
 à *Judeis antiquis*; sed *recentioribus* potius, qui non tam ex
 verbo Dei, nobis in *Scripturis Sacris* revelato, quam ex
Veterum Platoniorum deliriis sapere anteposuerunt: Sicque
 cum illis, *Pontificii Doctores*. Et nequiori sanè quam vel
 ipsi *Judei recentiores* consilio; *Hi* enim ut optimæ causæ,
 adv. *Sadduceos*, licet falsis mediis; *Isti* verò ut *Turpi ava-*
 ritix, cum injuriã & opprobrio *Mortis & Sacrificii Chri-*
 sti, infiniti ad *expianda omnia nostra peccata* valoris, inter-
 virent. *1. Joh. 1. 7. Colos. 2. 13. Rom. 8. vers. 1. Apoc. 14-*
13. Hoc persequi in sequentibus institutum, cum bono
 Deo; nobis propositum est.

XXII. Observamus itaque primò accipere *Hebraeos* שלוש de loco vitâ functorum communi, & distribuere in duas *Regiones*, *Paradisum* nimirum & *Gehennam*; & utrique *Regioni* *Septem* assignare *mansiones*, pro variis vel felicitatis vel miseriæ gradibus. *Mater* inquit, *duarum filiarum pertinaciter dicentium cedo, cedo, est ipsa Sheol* [nomen sortita a petacitate] *Ejusque filie sunt Gehenna & Paradisus: Quarum hæc dicit cedo mihi justos, altera autem dicit cedo mihi Impios* תנו לי צדיקים תנו לי רשעים. Hanc sententiam citat *R. Salomon Jarchius* in *Proverb. caput 30. vs. 15.* Istis consonant quæ leguntur in opere *Josipho* adscripto, in notis ad *Phatium* pag. 9. Εν ἄδῃ συνέχονται ψυχαι δίκαιων τε καὶ ἀδίκων. Postea οἱ δὲ δίκαιοι τῆς ἀφάρτης καὶ ἀνελευθείας βασιλείας τύχασιν. οἱ ἐν τῷ ἄδῃ νῦν μὲν συνέχονται; ἀλλ' εἰ τῷ αὐτῷ τόπῳ ἢ καὶ οἱ ἀδικοὶ &c. Hactenus benè; significabit enim *ἄδῃs mortuorum statum*. Quo sensû non repugnabit affirmari de *Christo*, fuisse illum in *Paradiso* in triduo mortis; non minùs ideò ἐν ἄδῃ.

XXIII. Sed observamus *Secundò*, Deinceps *Judeos* sua futilia proferre, dum *Israëlitas* in tres discescunt *Classes*; unam planè *piorum*, qui protinus ad vitam æternam destinantur & obsignantur recipiendi in *Regionem* quam ab horto in quo positus primus *Homo*, עֵדֶן ἢ hortum *Edenis*, & פָּרַדִּיזִים *Paradisum* vocant. de hac perplexè admodùm loquuntur; ità ut vix liqueat an *Cælum*, an *Paradisum* aliquem *Terrestrem* animabus beatis adsignent. *Pervulgata* enim illorum opinio fert, non tantùm *Enochum* & *Eliam*, cum corporibus quibus gaudebant antè translationem; Sed & cæteras *piorum* animas, in ejusmodi *Paradiso*, ubi ubi sit [in orbe *Terrarum* illum collocat *Maymonides* in *Perek Chetk*] solas agere, quoad *Messias* adventans resuscitet corpora atque denuo animabus suis conjungat; quod expectant sub finem *Chiliadis* sextæ eventurum: depletis tunc anima-

marum *promptuariis*, uti legere est apud *Esdram* apocryphum
 lib. 4. cap. 4. §f. 36. Sic cap. 6. vers. 22. Animas enim om-
 nes simul creatas ævum egisse in *Goph* regione cœlesti, prius
 quam in corpora descenderent, somniant Judæi; unde se-
 quatur delapsis tandem universis animabus, Sistendum
 esse cursum generationum usquedum *Messias* expergef-
 cerit corpora atque animabus suis recomposuerit; hocce
 tempus autem expectantes depinguntur loco *Esdra* citato
 Animæ; & sciscitantibus illis quandonam optatis potituræ
 sint? iis respondet Jeremiël Archangelus vers. 37. Illius
 capituli 4. id eventurum *Quando impletus fuerit numerus se-*
minum vestrorum. [id est generationum]. eò refertur dic-
 tum quod occurrit in *Mishna* tractatu *Jevoth* cap. 6.
Non aderit filius David prius quàm exhausta fuerint universa
anima que sunt in Goph. אין כן רוד בא עד שיכלו כל נשמות שבו
 שבו. Quicquid sit, quantumvis immisceant istis *Judæi*
 sua deliramenta, agnoscunt illi perfecte justos illicò in ipso
 mortis articulo frui gaudiis seculi futuri. Id testantur aper-
 tè authores ipsorum *R. Menachem* in Levitici Parashara
 מוֹת אֲחֵרֵי מוֹת [occurrit initio cap. 16. vers. 1.] *Liquido inquit*
constat inter nos præmia præceptorum in hac vitâ non obtingere:
 רק לאחר פטירת הצדיק יכנס למלכות הנקד גן ומקבל
 פני השכינה ושם תעמודנה כל הנשמות כל אחר כפי
 מעשיו עד תחיית המתים ויום הדין ונו
Verum post dis-
solutionem justus adipiscitur Regnum quod dicitur Paradisus,
fruiturque conspectu divino: & illic commorantur omnes ani-
ma, unaquaque secundum opera sua usque resurrectionem mor-
tuorum & diem judicii &c. Sic *R. Bechaye* in *Deuteron-*
mii cap. 33. ait צדיקים נמורים נכתנים ונחתמים
 לאֲלֵפֶר לחי עולם הנא
Perfectè justi scribuntur & obsig-
nantur continuo ad vitam ævi futuri. לאֲלֵפֶר continuo, id est
 in ipso mortis articulo בשעת מוֹת ut exponit *R. Simeon* in
Zech. 13.9. Quicquid sit, ut jam dictum, de loco ani-
 marum.

marum perplexè loquuntur, *Drusus* ait in 2. ad Corinth. cap. 12. 4. fateri ipsos *Paradisum* esse locum alium à Cælo. Quippe inquit, dicunt *Paradisum* esse receptaculum animarum post hanc vitam; Cælum autem recipere omnes post iudicium extremum. quod immediatè resurrectionem sequetur. Eandem esse mentem Hebræorum *Hugo Grootius* affirmat ad eundem locum Apostoli; & id probat ad caput *Lucæ* 23. 43. ex scriptis *Thalmudicis*, in quibus frequentes ejusmodi voces 177. 12 occurrunt, ad significandam felicitatem post hanc vitam mortalem, & Ejusmodi de mortuis formula, *הנה ^{נפש} כהן ^{בגן} עדן* Sit anima ejus in horto *Eden*; Animus ejus collectus esto in horto *Eden*. &c. interdum, inquit vocant *Paradisum inferiorem*, quia cælum *Paradisus superior*. Nihilo tamen minus Alii putant se posse conficere ex *Hebræorum* scriptis, voces *Horti Edenis*, seu *Paradisi*, esse ejusdem significatûs cum Cælo cum Regno, & seculo futuro; & argumentantur ex locis jam citatis, & complurimis aliis, in quibus ajunt Ejusmodi vocibus *Paradisum superiorem* non *inferiorem*, & *Beatificam ipsam Dei visionem, supremamque felicitatem*, Significari. Uno istorum argumento contentus à cæteris supersedeo. Petitur ex lib. 4. *Esdra* apocryphi quem meritò dicunt nostris scriptis *Rabbinicis* antiquiorem, ibi cap. 4. vers. 8. Quæstioni *Vrielis*. Qui sunt exiitûs *Paradisi*? reponitur in cælum nunquam ascendi. Quod nihil faceret ad rem, inquit, nisi Cælum & *Paradisus* idem designarent. Cætera si quis fusiùs aveat videre diducta, adeat *Ja. Windet*, Anglum, Virum doctum, qui in conquirendis ejusmodi laboriosam admodum & diligentem operam collocavit; Is re inspectà penitius, in diversa à *Doctissimis Drusio*, & *Grootio* abit. hoc unum observasse vincit aut obscurè & perplexè de istis locutos esse *Judæos* aut variasse illorum de *Paradiso*, An superior cælum nempe vel *inferior*, locus esset *animarum beatarum* ante *Re-*
fur-

furrectionem; sententias; licet, sit inter eos circa gaudia
 queis interea temporis fruuntur, consensus. Hæc de pri-
 mâ Classe ad quam Judæi *Israelitas* qui planè pii sunt, re-
 vocant.

XXIV. Alteram *Classem* dicunt esse merè impiorum,
 qui in igne *Gehennâ* æternùm sunt cruciandi. Judæi *recepti-
 ores* quorum de sententiâ differimus *Gehennam* dividunt
 in *Superiorem* עֲלִיּוֹן & *inferiorem*, quam vocant בֵּית אֲבֵדוֹן
puteum infimum, בית אבדון *Domum perditionis*, & vo-
 cibus usitatissimis תּוֹפֶת *Topheth* & גֵּיהֵנּוֹם *Gehennam* deno-
 minatione desumptâ à loco in valle Filiorum *Hinnom*,
 prope *Jerusalem*, ubi concremabantur liberi *Idolo Molech*,
 sic dicto à תּוֹפֵן *tympano*; quia ibi pulsabantur tympana, ne
 puerorum qui ibi traducebantur per ignem, ejulatus au-
 direntur à Parentibus, eosque repeterent ex manibus sa-
 cerdotum. *Prophanavit hunc locum Rex Josias*, uti habe-
 tur 2. Reg. cap. 23. 10. *nequis traduceret filium suum aut fi-
 liam suam per ignem ipsi Molech*: factus ille locus impurus
 projectione omnium impiorum, cadaverum, mortici-
 niorum; ibi deinceps fuit ignis nunquam extinctus quo
 comburentur ossa & alia immunda. Quia etiâ ibi loci
Affyrii Angelo Domini percutiente una nocte centum
 octoginta quinque hominum millia numero ceciderunt *Esai.*
 30. 31. Quia etiam locus ille factus strage Judæorum per
Babylonios horrendus; ideoque juxtâ verbum Domini
Jerem. 7. 32. non dicendus amplius *Tophet*, vel *vallis Fi-
 liorum Hinnom*, sed *vallis cadis* in quâ sepelirentur mortui
 donec locus non suppeteret; & futura erant ibi cadavera
 populi pastui volucris Cæli & Bestiis terræ nullo ab-
 sterrente; inde factum quod horrenda *Vallis* tandem ad
 locum cruciatûs æterni impiorum post vitam, *Tartarum*,
 locum inferorum designandum *Analogice* à Judæis tradu-
 ceretur. Observabo tamen obiter, & eâ de re monuit
 cita-

Citatus *Anglus*, Rabbinorum hic circa durationem poenarum merè *Impiorum* variare sententias; videas nonnullos statuere poenarum illarum aternitatem. *Targum* in *Esaiaë* cap. 33. vs. 14. *impios* amandat ad *Gehenna ignem aeternum*. Sic alii dicunt *Qui ad infima terra descendit, nunquam ascendit. Item: penitus Impii illic plebentur in secula seculorum*. Alii verò aliter, *R. D. Kimchi* in primum *Psalmum*, de *Impiis* ait *Peribit anima Impiorum cum corpore in die mortis*. *Maymonides* *Kereb* sive excisionem, de annihilatione videtur interpretari. Nonnullos videas, sic *R. Menachem* exponens illa *Samuelis* cap. 25. 29. *Sit anima Domini mei ligata in fasciculo viventium &c.* Fasciculum viventium de conditione *justorum*, projectionem verò inimicorum velut ex fundâ, de quâ ibi, de *Asservatione in vinculis*, usque ad tempus quo inde exeant, interpretari. idem enim alibi in *Parasham* אפרים *Lev. 16:1.* de *Gehennâ inferiore* locutus, ista habet, *At Impii manent illic quoad eorum macule absterse fuerint*, hinc colligit author ex quo *historica* istæc describere munita suis probationibus haud refugimus, *Judæorum plurimos Gehennam*, ut *Græci Tartarum*, non tam ad *cruciatum*, quam ad *emendationem* profligatissimorum comparari, statuisse. Sua ex istis *Pontificios* desumpsisse ex parte existimamus, vel æquè impuro fonte; sed an idè jure aliquo? jâ m dictum, & infra dicetur.

XXV. Tertiâ Classem *Judæi* dicunt esse מניין *Mediocrium*, qui tam mala quam bona egerunt. Distribuant nimirum Illi totam legem *Mosis* in præcepta sexcenta & tredecim, *affirmativa* scilicet sive *jubentia* 248. juxta numerum membrorum corporis humani; totidem enim *Anatomistæ Rabbinici* numerant; *Negativa* sive *prohibitiva* 365. juxta numerum dierum anni *Solis*; vel venarum in corpore humano; ita ut, si singula hominis membra singulis diebus unum mandatum observarint, & ab

ab uno interdicto sibi caverint, non solum *decem Dei præcepta*, sed etiam tota *Lex Moſis*, ſingulis annis, bene ab illis obſervata fuerit. de iſtis *Buxtorſius* in *Synag. Jud.* cap. 3. Ad *Clasſem* illam *Mediocrium* ſuorum, referunt *Judæi* *Iſraëlitas* illos, qui in præceptum aliquod ex 365. veteribus deliquerunt; & non actâ prius commiſſorum poenitentiam, è vitâ migrarunt. Ejuſmodi peccata cenſent in *Gehennâ Superiore* non in inferiore, ſive *Tartaro* illo à quo non datur reſſus, expianda eſſe per poenas, quæ plerumque ad *duodecim menſium* ſpatium ſeſe extendant; uſque dùm ſufficienti luſtratione peractâ fiant participes vitæ æternæ; nolunt tamen illos unquam frui iis perfectis gaudiis quibus pii perfruuntur. Putant autem ante liberationem ex illâ *Gehennâ ſuperiori*, preces pro defunctis ſuſas à Deo exaudiri. ſunt etiam è *Judæis* qui dicant *Mediocres* illos, poſt poenam duodecim menſium in *Gehennâ* illâ, poſtea adhuc una cum corpore & animâ exurendos. Quod attinet autem ad peccata contra præcepta *Aſſertiva* ſeu *jubentia*, exiſtimarunt *Judæi* illa per meram poenitentiam, ſaltem in ſoleſni *Reconciliationis* die כִּפּוּרֵי remitti.

XXVI. Quæ dicta hæctenùs de *triplici* illâ *Iſraëlitarum* *Clasſe*, ne prolata videantur gratis, vel ſine teſtibus, confirmantur illa ex loco *Talmudis* quem protulit citatus author, qui habetur in *Gemarah Tractatus. Roſh Hashannah* cap. 1. fol. 16. pag. 2. ex ſententiâ *Schole Sammei*. Is ita ſe habet.

„ En tres cœtus ad diem *Judicii*, unus, penitus *juſtorum*, &
 „ unus penitus *impiorum*, & unus *mediocrium*. Penitus *juſti*
 „ conſcribentur & obſignabuntur continuo ad vitam æternam.
 „ penitus *impii* conſcribentur & obſignabuntur continuo ad *Gehennam* ſicut dicitur (*Daniel. 12. 2.*) multi è dormientibus
 „ in *Terræ pulvere* expergiſcentur; hi ad vitam æternam,
 „ & illi ad opprobria & ad contemptum æternum. Me-

1. diocres descendunt in Gehennam, & plorant & ascendunt
 2. sicut dicitur (Zachar. 13. 9.) Et trajiciam Tertiam par-
 3. tem per ignem, & repurgabo illos perindè ac argentum
 4. repurgatur, & probabo illos perindè ac aurum proba-
 5. tur: imple invocavit nomen meum, & ego exaudiam
 6. eum. De iisdem dicit Hannah (1. Sam. 2. 6.) Dominus
 7. occidit & vivificat, ad inferos deducit atque indè suble-
 8. vat. Hilleniani dicunt, & Dominus misericordiae incli-
 9. nat ad misericordiam. Deque iisdem David dicit, (Ps. 116.
 10. 1.) *Anno Dominum quoniam exaudivit vocem meam. De-*
 11. *que iisdem David passim dicit attenuatus sum & me ser-*
 12. *vabit. Prævaricatores Israël cum corporibus suis, & præ-*
 13. *varicatores Gentium cum corporibus suis descendunt in Ge-*
 14. *hennam, ibidemque plectuntur duodecim menses; post verò*
 15. *duodecim menses, corpora eorum consumuntur, & anima*
 16. *eorum comburuntur & ventus dispergit eas sub Plantis pe-*
 17. *dum justorum. Sicut dicitur (Malach. 3. 21.) proculcabitis*
 18. *impios quia pulvis erunt sub plantis pedum vestrorum.*
 19. *At enim verò hæretici, & Proditores, & Epicurei, qui le-*
 20. *gem negant, & resurrectionem mortuorum etiã negant,*
 21. *& qui sese ab institutis Ecclesia separant, Quique terrorem*
 22. *suum incutiunt in Terrã viventium, quique peccant ipsi,*
 23. *& alius quam plurimis peccandi authores existunt, instar*
 24. *Jeroboami filii Nebat, eique similium, descendunt in Ge-*
 25. *hennam, ibidemque plectuntur in secula seculorum. Sicut*
 26. *dicitur (in ultimis verbis Esaïæ) Et egressi intuebuntur*
 27. *cadavera hominum qui in me peccaverunt quod vermis*
 28. *eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur,*
 29. *& erunt nausææ omni carni.*

XXVII. Habemus fontes apertos undè sua desumpfisse
 videntur Pontificii; ex fontibus impuris nimirum non Ju-
 daeorum duntaxat recentiorum, sed Gentilium, Platonico-
 rum scilicet, ex quibus sua illa Judæis recentioribus desume-

re placuit. Judicabit facile, qui *Bellarminum* Platonico-
rum referentem sententiam, & subnectentem sua audive-
rit, nos ex vero loqui. Sic habet lib. I. de *Purgatorio* cap.
2. sub finem. „ *Plato*, inquit, in *Phædone*, & in *Gor-*
„ *giâ*, tria facit hominum genera eorum qui ad iudicium eve-
„ *antur* post mortem. Unum eorum, qui piè justèque vixe-
„ *runt*; & hos statim ad *Insulas* beatorum transmitti dicit.
„ *Alterum* eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt; & hos
„ *asserit* ad tempus exerceri pœnis, donec scelus eluatur. Ter-
„ *tium* eorum, qui peccata incurabilia commiserunt; & hos
„ *dicit* in *Tartarum* dejici in aeternum puniendos; quorum sup-
„ *plicia* ipsis quidem nihil prosunt. Sed aliis tamen prosunt ad
„ *Exemplum*. *Virgilius* inquit, quoque id non tacuit, ubi
„ *ait* *Æneid.* 6.

- - - - Sedet, æternumque sedebit

Infelix *Theseus*, *Phlegyas*que miserrimus omnes

Admonet, & magna testatur voce per umbras;

Discite justitiam moniti, & non temnere divos.

Quamquam & ibi loci *Bellarminus* referat *Platonicos* sensisse
nullas esse pœnas post hanc vitam, nisi *purgatorias*, idque ex
Augustino lib. 21. de *Civit. Dei* probet; quod conciliare
non ita facile est: Quicquid sit, eam assumit *Platonis* sen-
tentiam, quæ est suo proposito accommodatior, & conce-
ptis verbis cap. XI. lib. I. de *Purgatorio*, hanc quam *Plato*
secutus est rationem, se sequi profiteretur. „ *Videmus* inquit,
„ *ex* iis qui migrant ex hac vitâ, alios esse valde bonos; alios
„ *valde* malos; alios mediocriter bonos, & mediocriter malos:
„ *Quocirca* judicamus naturali lumine, esse post hanc vitam pœ-
„ *nas* aeternas pro valde malis; præmia aeterna pro valde bonis;
„ *ac* pœnas temporarias, & per eas transitum ad præmia, pro iis
„ *qui* sunt mediocriter mali vel boni: hanc rationem sequutus
„ *est* *Plato*, & alii, qui solo lumine naturali prædii *Purgato-*
„ *rium* esse confessi sunt. referam fùlius quæ *Plato* habet in
B 2 *Phæ.*

Phedone. Postquam Inferni Topographiam descripsit, narrat *animas*, quæ virtutem inter & vitium *mediam* tenuerunt viam, post latam de se sententiam, ad *Acherontem* profectas *conscensis vehiculis* ad *Acherusiam* paludem deportari, expiatisque illic per supplicia sceleribus solvi, & præmia tandem rerum benè gestarum referre; & ad animalium etiam generationem nonnumquam remitti: Quæ verò *insanabilibus* sese facinoribus alligarunt, in *Tartarum* absque ullâ futuri exitûs spe præcipitari. At quarum crimina *sanari possunt*, projici & illas in *Tartarum*, sed transacto illic anno, fluctû indè ejici. Et ad *Acherusiam* revolvi; nec ante liberari, quam eos exoraverint, quos injuriâ vel morte affecerunt. Quæ *puram* autem & insontem duxerunt vitam, eas *regionem* quandam *superiorem* & delitiis affluentem, quæ Terræ super eminent, ascendere; nonnullasque ex iis *Philosophia* præceptis institutas corporeâ mole liberari penitus, & in *amœniora* loca concedere.

XXVIII. Hæc qui contulerit cum memoratâ *Judæorum* sententiâ, deprehendet, insanientis rationis humanæ sapientis sibi præter & contra Scripturas, & miserè delirantis fœtum & Sobolem, nobis à *Pontificiis* obtrudi; eaque interpolari in dogmate Pontificio ex *Judæis* & *Gentilibus*, quæ nec Judæis nec Gentilibus audita hæctenus fuerant; Quæque nullius, in istâ Luce Evangelii, ad Scripturas attendentis conscientiæ, sese approbare possint. Potuerint *Plato*, potuerint *Gentiles*, etiam *Judæi* causari se non novisse vim Christi sanguinis in eluendis peccatis hominum; virtutemque divinæ ipsius satisfactionis non sibi ita saltem clarè revelatam; lumine tamen naturali sibi, omnibusque hominibus communi, fuisse hoc cognitum, peccatorem non posse apud Numen nisi præstitâ satisfactione, vel purgatum, redire in gratiam; hanc itaque, non alibi obviam sibi, in ipso peccatore, eamque post vitam, per pœnas in
infe-

inferis exhibendam quæsiuisse: Hinc illa sua in *Phaedonē*
Οἱ δ' αὖν ἰσόμενα μὲν, μεγάλα δὲ δόξωσιν ἡμαρτημέναι, ἀμαρτή-
ματα, — τέρας ἐμπροσθεῖν μὴν, εἰς τὸν Τάρταρον ἀνάγκη ἐμπροσθέντας
δὲ αὐτὸς καὶ ἐπιπυτὸν ἐνεῖ γενομένους, ἐκβάλλει τὸ κῆμα &c.
Qui licet Sanabilia, magna tamen flagitia admississe videantur,
— illos in Tartarum incidere necesse est: incidentes autem at-
que annum illic commoratos ejicit fluctus, &c. Sed inexcusabi-
les prorsus Pontificii; qui Mysterium Satisfactionis Christi
agnovere ex Scripturis, & consentunt, quod impuris il-
lis Gentilium & Judæorum fontibus se proluant & somniis
cæcorum hominum indulgeant. Potuit Plato ope luminis
naturalis colligere valdè Bonis asservari præmia magna,
Malos manere supplicia & pœnas, queis propter peccata in
ipso justè animadverteretur; Suspiciari etiàm mediocriter
Bonis, vel malis, expectandam esse mediocrem vel merce-
dem, vel pœnam; si modo velit Deus cum mediocribus
illis, non ex jure agere; nemo enim adeò mediocriter malus
est, qui non mereatur plecti à Deo justo judice pœnâ aternâ.
Quid enim conquereretur de rigoroso Judice Creatura In-
finite Dei Majestatis violatrix? Sed nec Plato nec Quivis
alius seriò ad rem attendens, negaverit Creaturam ejus-
modi mediocriter malam puniri potuisse eo modo quo di-
ctum est; sed purgari tantùm adhibitis temporalibus pœ-
nis debuisse, hoc sanè non admiserit. Quanquam enim ve-
rum sit animam, non nisi defæcatam, ac debitam purita-
tem nactam posse ad cœlum admitti; Tamen certum est
Lucem rationis non docere modum & rationem quâ Purga-
tio ejusmodi procurari debeat; istudque innotescere tan-
tùm ex revelatione divinâ. Quo enim argumento è fonti-
bus luminis naturalis petito id confirmaretur quod unice ex
liberâ Dei voluntate & arbitrio pender, Quale est exerci-
tium voluntatis illius liberrimæ? Id sanè naturâ suâ tale est,
ut ni interveniat talis Dei voluntatis revelatio, nulli mortali

lium innotescere possit. Proindeque nemo prudens diffitebitur non hic ad luminis naturalis subsidium, ratiocinia, conjecturasve recurrendum cum *Platonicis*, *Origenistis*, vel *Judaicis*, Sed ad verbum Dei unice.

XXIX. Offendit ad illum Scopulum *Origenes*, dum ratiociniis suis indulgens monstra opinionum invexit, quas *Patres Concilii Oecumenici Sexti*, Canone 1. nomine *Fabularum Grecarum* traducunt, & anathemate feriunt, confirmando quæ antea à *Constantinopolitano* 2. sub *Justiniano* magno adversus ipsum pronuntiata fuerant. *Statuimus inquit fidem citra innovationem immutabiliter servandam &c. Pias voces & à Spiritu editas agnoscimus, & posteros nostros docemus divinatorum Patrum qui sub Justiniano pie memoria Synodice anathematizarunt & execrati sunt Theodorum Mopsuestia, Nestorii magistrum, & Origenem, & Didymum, & Euagrium qui Græcas fabulas rursus fictas retulerunt, & corporum quorundam & animarum circuitiones & immutationes seu transmigrations de integro nobis revocarunt suis quibusdam mentis deliriis ac somniis, & in mortuorum resurrectionem impie ac contumeliose insultarunt &c.* Isti inter cæteros etiã numerantur *Origenis* Errores ἐν σαρκὶ μὴ πλασθῆναι τὸν Ἀδάμ. Καὶ τέλος εἶναι τῆς κολάσεως, καὶ δαμῶναι εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκατάστασιν. in carne non formatum fuisse Adamum, & punitionis futurum esse finem, & demonum ad statum pristinum restitutionem &c. de quibus consuli potest *Alexius Aristenus* in Scholiis ad calcem Canonis primi *Concilii oecumenici sexti* jam citati. Non reuivuit *Bellarminus* ipse agnoscere hos Errores fuisse *Origenis*. Nullas inquit (de *Purgat.* lib. 1. cap. 2. §. Porro) pœnas, nisi purgatorias, post hanc vitam agnovit *Origenes*, omnibusque impiis hominibus, & *Demonibus* tandem salutem pollicetur. Eandem fuisse *Platonicis* sententiam de pœnis post vitam, supra ex *Bellarmino* vidimus.

XXX. Sic

XXX. Sic concinnavit *Origenes* suum *Systhema*, ut quomodo inde eruantur portentosa ejusmodi dogmata evidenter liqueat. Statuit in opere *περὶ ἀρχῶν* lib. 2. c. 8. Deum initio solas *rationabiles* naturas condidisse, omnes æquales, ad id unâ suâ permotum bonitate. Sed factum ex vi *liberi ipsarum arbitrii*, quod mox in diversa opera prolaberentur, atque ided, pro meritis illarum, à Deo investam esse hanc quam observamus in mundo *diversitatem*, creasse v. g. omnes hominum *animas* in Cœlo simul atque semel: non verò creatas successivè, quomodo existimamus quum hodiè in corpora infunduntur: jam pridem vixisse illas antea in Cœlo, ibi peccavisse, & pro peccati admissi genere vario atque vario *derrusas in Terram* & in corpora nostra tanquam in Ergastula & carcere à Deo, supplicii causâ. Sic initio, in *Adamo & Eva* conditam naturam simplicem *Spiritualem* atque *Angelicam*; sed tum demum cum lapsi essent, fuisse *Vestibus pelliceis*, idest, uti interpretatur, *Corporibus Indutos*, & instructos; & quasi incarceratos. Undè putetur corpus nostrum, *dépous funis* atque *vinculum dictum*; quasi animæ *Carcer*. Anima verò *ψυχή*, quasi *refrigeratus* Cœlestis quidam *halitus* propter corporis hujus nostri quod frigidum est contagionem & contactum. Atque aded, mundum hunc voluit propter supplicia animarum factum esse, ut esset locus in quo *culpa* in cœlo ab iis admissæ, graves *penas* luerent ut refert *Isidorus*. Sic *Origenes* descriptionem *Paradisi* traditam à Mose, totam ad *allegoricam* expositionem detorsit. Arbitratus hunc qui vulgò *terrestri* dicitur, fuisse in *Calo*, in *Tertio Cœlo*, per *Adamum & Evam* in *Paradiso* Creatos, intelligi *Animas* in Cœlo degentes. Per *Esu* fructus vetiti significari *crimina* ab Animabus in Calo admissa. Per *expulsionem* parentum; exhiberi *Animarum* propter delicta *exitum*. Denique per *Vestes pelliceas*, terrenum corpus &

mortale impositum Animabus, quo Deus Adamum & Evam induit post prævaricationem. Sed futurum istis malis finem. Nam in opere contra Celsum libro 8. Scribit, fore ut olim rationali natura prævaleat ratio; mutetque omnem animam in suam perfectionem; postquam unusquisque suâ potestate usus elegerit, qua voluerit, & in iis fuerit qua elegerit; neque consentaneum esse, ut sunt in corporum morbis, qua superant omnem medicorum artem, sic esse in animabus quicquam mali quod non possit à supremo illo verbo & Deo curari. Sic lib. 4. contra Celsum. „immunes ab igne & penis permansuros solos eos, qui & opinione & moribus & mente egregie purgati fuerint; ceteros horum dissimiles, ignis castigatorii dispensatione, pro suis meritis opus habentes, in his ad certum quendam finem, fore. Ne quis autem credat ipsum loqui de Hominibus duntaxat, lib. 8. contra Celsum, Evangelium Christi pertinere etiam ad ipsos Dæmonas adstruit. postquam enim à Christo illud hominibus seminatum dixit, addit continuo & Θεῦσονται δὲ προσθεῖς καὶ λέγων ὅτι καὶ τῶν ἄλλων λογικῶν &c. Non mentiar autem, si & hoc adjecero etiam aliis (præter homines scilicet) rationalibus creaturis, quibuscunque opus est correctione, sanatione, mutationeque ad virtutem à vitis. Immo & Christi mortem non Hominibus Angelis & Dæmonibus tantum profuisse existimat, sed & Syderibus; utpote animâ rationali ex ipsius sententiâ, præditis; adeoque capacibus peccati; Sydera enim etiam inter vobis recensuit. Ac proinde ex mente Origenis reducenda sunt omnia tandem, Etiam corpora, ad naturam mentium quas Deus initio creaverat solas; futura tam subtilia & tenuia, (quomodo veteres loquebantur) quàm est Spiritus, hoc est ex ipsius sententiâ, desinent carnem & ossa habere; Etiam Diabolus Et ipsius Angeli, purgati atque liberati Regni Dei, (ut habet Augustinus, referens Origenis sententiam de Hæresibus cap.

43.) luci restituentur. Sed non hoc solum; nam teste eodem ibi loci Augustino, „rursus post longissima tempora, „omnes qui liberati fuerint, ad haec mala relapsuri & rever- „suri sunt, ex mente Origenis, & ut vices alternantes bea- „titudinum & miseriarum rationalis creaturae semper fuerunt, „semper pariter futura. Hanc fuisse sententiam Origenis pa- riter asserit Hieronymus Epistolâ 59. ad Avitum cap. 3. licet id Ruffinus Origenis Apologista dissimularit: probat tamen id Hieronymus citato Origenis textu ex lib. 3. περὶ ἀρχῶν. Eadem habet Maximus, qui in Scholiis ad Dionysii librum de caelesti Hierarchiâ cap. 6. verba haec Origenis è libro 1. περὶ Ἀρχῶν recitat μετὰ δὲ τὸ ἐπὶ πᾶσι τέλος πάντων ἀπόρρησις καὶ κατὰπτωσις γίνεται, quâ de re consuli potest diligens sententiarum Origenis scrutator Clarissimus Huetius in Origenianis lib. 2. pag. 145. & 154. & 156. Quod uti puto, dedit occasionem cogitandi ipsum (uti patet ex Canone 1. Concilii Oecumenici sexti jam citato) mortuorum resurrectionem negasse. hoc quidem, teste Augustino, Defensores Origenis negant. Sed istis repugnat Augustinus, illic subnectens, Qui plura ejus, inquit legerunt, contradicunt. Conciliabimus dicendo carnis resurrectionem saltem negasse Origenem, si non apertè, sanè per consequentiam; in quantum non vitam aeternam stabilem & constantem, & animas nostras in eâ perpetuò futuras agnoscit; sed ἐπιλόχωσιν sive πάλινγενεσίαν tantum, hoc est animorum juxta Pythagoreorum sententiam, revolutionem perpetuam docet & inducit, secundum quam Mentis, hoc est omnia entia rationalia, in quocunque demum statu sive Angelorum sive hominum &c. Sint, statum illum pro ut benè vel malè libero arbitrio utuntur, (cujus jacturam, ne minimam quidem patiuntur unquam) mutant; ascendentibus illis vel in superiorem gradum, vel detrusis in deteriorem, mutuâ quadam μετεσσωματώσει in
C
ater.

æternum factâ; itâ ut Mens una & eadem omnes om-
 nium Entium rationalium *Ordines* successive, idque sæ-
 pius, experiri possit. Nec enim âliam *Origenes* agnoscit
Resurrectionem, quàm quæ in ejusmodi animarum & cor-
 porum periodis & revolutionibus posita est. Induuntur
Iustorum animæ levioribus & æthereis corporibus, fiunt
 angeli solutæ istis pristinis, in quæ tanquam in Ergastula
 fuerant propter pristina in cælo peccata detrusæ; *Impio-
 rum* animæ ad Graviora vel leviora pro ratione peccato-
 rum tormenta amandantur, *temporaria* tamen; fiunt si
 velitis *Dæmones*, sed ad tempus; hæc Beatorum gaudia,
 vel damnatorum, vel Diabolorum etiâ supplicia sempit-
 eterna futura non sunt; Pœnis expletis, conflagratâ Ter-
 râ, futura rerum omnium *Conversio*, & ἀποκατάστασις, re-
 stituentur ad pristinum statum omnia; Terra habitabitur
 iterùm, mentes eodem futuræ loco quo fuerunt, ante-
 quam propter virtutes vel peccata ad angelorum, vel
 Dæmonum, vel Hominum naturam adjungi meruissent,
 iterumque fata sua experiendi facultatem nanciscentur,
 idque periodis aliis alias invicem in æternum excipienti-
 bus. Istudne *Resurrectionem* æternam corporum, qua-
 lem docent scripturæ agnovisse est? An non potius non
Resurrectionem corporum statuisse existimabitur is qui
 Adamo corpus affingit duntaxat propter ipsius peccatum
 adventitium & extraneum, quo quasi vinculis & com-
 pedibus oneratur, quodque gestare desinet anima, cum
 expurgato peccato pœna cessabit? Sanè tam perplexè de
 resurrectione corporum locutus est *Origenes* ut qui illum
 hîc quocunque modo excusare annisi sunt, frustra sunt,
 dicendo non potuisse ab ipso credi penitus interitura cor-
 pora & dissolvenda in nihilum, qui putarit conservari
 animam, quæ ex ipsius mente, sicuti alia omnia creata, cor-
 pore carere non potest, ita ut videatur agnovisse resur-
 rectione

rectionem corporis, simul negasse resurrectionem carnis, quasi inter carnem & corpus aliquid inter esse suspicaretur, & existimaret corpus animæ esse proprium quid quod cerni non possit, *carnem* verò esse externum illud quod oculis usurpatur. Quâ de re consuli potest *Eriphanius* in suâ illâ adversus *Origenem* querelâ Hæresi 64. cap. 4. τὴν τῶν νεκρῶν inquit, ἀνάστασιν ἑλλιπῆ ποιεῖται, πῆ μὲν λόγῳ — περιζῶν ταύτην, πῆ δὲ ἐξαρνέμενος τελευτάτα, ἄλλοτε δὲ καὶ μέρος ἐξ αὐτῆς ἀνίστασθαι. *Mortuorum*, inquit, resurrectionem imperfectam esse docet; partim eam verbis asserens, partim funditus tollens, aliàs verò partem ejus duntaxat resurgere tradens &c. Qui inquam, hic *Origenem* excusare annisi sunt cogantur fateri in istis stupendam hominis inconstantiam, modo Animabus suscitatorum detrahentis corpora, nonnunquam affingentis, Nunc circâ figuram quæ ejusmodi corporibus competat, dubitantis. An Resurrectio quam docet nos Scriptura componi potest cum portentosis istis dogmatibus, queis conficitur mentes rationis compotes perpetuò pro meritorum suorum modo & mensurâ adjungi corporibus vel subtilioribus si benè sese gesserint, vel gravibus & crassis si malè? Cum statû in quo, quia semper liberi sui arbitrii libertate fruuntur ac proindè vel benè vel malè agere possunt, perpetuos, experiuntur à supernis ad inferiora lapsus & reditus. An ibi certus aliquis Beatitatis futurus vel etiam miseriæ status observari potest si sit in utroque perpetuus aliquis progressus vel regressus? ibi ne vel Beatorum gaudia, vel Damnatorum tormenta sempiterna dicentur? Expressè tamen id habemus Dei verbo revelatum. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis ejus* Matth. 25. 41. & ne quis dicat ignem esse æternum, non Mansionem æternam in eo, habetur vers. 46. *Et abibunt isti in supplicium æternum: justi vero in vitam æternam.* Sic Apocal. 20. 10. *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stag-*

num ignis & sulphuris ubi Bestia & pseudopropheta & crucia-
 buntur die ac nocte in secula Secu'orum. Quid Ergò isti sta-
 tui cum Resurrectione quam scripturæ pollicentur com-
 mune est? Denique de pœnis vel præmis quæ resurrectio-
 nem excipiunt, sic Origines Homiliâ 6. in Exodum, men-
 tem suam expressit. *Veniendum est Ergo, inquit, omni-
 bus ad ignem: veniendum est ad conflatorium: Sedet enim
 Dominus, & conflatur, & purgat filios Juda. Sed & illuc cum
 venit, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniqui-
 tatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni resolvitur
 ac purgatur, & totum remanet aurum purum. Et si quis plus
 illuc plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoqua-
 tur, ut & si parum aliquid sit auri; purgatum tamen resi-
 deat. Quod si aliquis illuc totus plumbens venerit, fiet de illo
 hoc quod scriptum est demergetur in profundum tanquam plum-
 bum in aquâ validissimâ. Sic Homilia 3. in Psalm: 36. Cer-
 tum est Quia manet nos ignis ille qui preparatus est peccatoribus,
 & veniemus ad illum ignem, in quo uniuscuiusque opus quale
 sit ignis probabit. Et ut ego arbitror, Omnes nos venire neces-
 se est ad illum ignem. Etiam si Paulus sit aliquis vel Petrus, ve-
 nit tamen ad illum ignem. Sed illi tales audiunt: Etiam si per ig-
 nem transeas, flamma non aduret te. Si verò aliquis similis mei
 peccator sit, veniet quidem ad ignem illum, sicut Petrus & Pau-
 lus, sed non sic transibit, sicut Petrus & Paulus. Extat &
 alius locus Homil. 8. in Num. ex quo de sententia Orige-
 nis liquere possit. *Donec sumus, inquit, in carne positi ad liqui-
 dum puri esse non possumus, nisi octava venerit dies, id est nisi
 futuri seculi tempus adfuerit. in quo die si masculus est, statim in
 ipso adventu futuri seculi purgatur, & statim munda efficitur ma-
 ter qua genuit eum. Purgatam namque carnem ex resurrectione
 accipiet. Si verò nihil habuit in se virile aduersus peccatum, Sed
 remissus & effœminatus fuit in actibus suis, cuius peccatum tale
 est, quod non remittatur neque in presenti, neque in futuro Secu-**

lo, iste transit *Et unam, Et aliam Septimanam in immunditia sua, Et tertiâ demum oboriri incipiente Septimana purgatur ab immunditiâ, quam foeminam pariendo contraxit.* Talibus istis Origenes definit Omnes Homines igne examinatum iri, diverso tamen modo, siquidem illæsi & illibati prætereant sancti, impiorum vero noxæ & vitia flammis excoquantur. Ac transitûs illius discrimen comparatione transitûs Hebræorum & Ægyptiorum per mare rubrum explanat. Nequis tamen sibi ideo inducat in animum credere perire penitus impios ad instar Pharaonis & Ægyptiorum qui non emerferunt ex aquis, Origenes alibi Philocaliæ cap. 26. aperit quomodo Pharaoni ejusmodi immersio potuerit ad salutem profuisse. „Arcanius inquit, verò & altius fortasse, *Et ad Pharaonis ipsius utilitatem, qui non amplius venenum occultaret neque cupiditatem cohiberet sed protraheret Et in apertum proferret, Et fortasse agendo dissolveret, [καὶ τὰ κατὰ τὴν ἐπιπέτευ ἐκλύοντι] ut inherentis malitia ebullitione ac ejectione factâ, imbecillam postea haberet, qua mala fert arborem, Et fortasse demum exsiccatam cum mergitur Pharao. Ne sic ideo, pergit ille, Quis existimârit ut periret, sed ut ejectis peccatis allevaretur, Et forte in pace ex tanto bello animi ad inferos descenderet. Sed non hoc solum, sed putat Origenes, & verba ipsius expressa sunt Homilia 14. in Lucam, „Quod Et post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos atque purgante; nemo enim, inquit, absque sordibus resurgere poterit, nec ullam puto posse reperiri animam, qua universis statim vitiis careat.* Alibi contra Celsum qui irridebat receptam apud Christianos de Mundi conflagratione opinionem disputans libro 5. agnoscit ignem universi Mundi καθάρσιον lustratorium, forte inquit, singulorum etiâ hominum, quotquot opus habent ignis hujus vel poenâ, vel remedio, τῶν δεομένων τῆς διατρῆς τῶν πῦρος δίκης, ἀμα καὶ ἰατρίας. Quamvis tamen asserat talè incendio universos homines lustratum iri, asserit perpetuo futu-

faturum hoc illæsis iis in quibus opera peccati, idoneum scilicet isti igni pabulum, nulla reperientur; exustis vero aliis, qui noxas & scelera, ligna nimirum fœnum & stipulam flammis exedenda collegerint. *ibid.* pag. m. 241. Denique refert *Hieronymus* in Epist. 59. ad Avitum scripsisse Origenem in fine libri primi *περὶ ἀρχῶν*, Animam quandoque pro dolore panarum & ignis ardore, magis eligere ut *Brium animal sit*, & in aquis habiet, & fluctibus, ac corpus assumere huius vel illius pecoris. Hæc sat iis consentanea quæ Eadem Epistolâ habentur dixisse Origenem *Animas pro criminum modo crassioribus hominum, vel jumentorum, vel etiam Demonum corporibus immitti, easdemque respicientes, ad Angelorum naturam redire.* Notandum tamen antequam pergamus ad alia, ignem illum de quo tam sæpè Origenes loquitur, non aliter depingi ab illo quam de igne non-corporali, sed metaphorico quem per conscientiaæ vermem, & stimulos &c. describit; has esse flammæ ultrices quæ urant quarum Esca & pabulum sint Noxa & peccata. Alibi ignem peccata exedentem & absumentem ait esse Deum, & Dei gratiam mentibus a Deo infusam, ideo animam ignibus attingi & exuri tum posse statuit. Lib. 6. contra Celsum. pag. m. 325. *licebit*, inquit, per nos Stoicis, ut deflagratione absument omnia: Nos nullam incorpoream substantiam scimus esse cremabilem, nec ignibus absumi hominis animam, aut Angelorum, thronorum, Dominationum, principatum substantiam. mitto hic horrenda illa quæ ipsi ab Epiphano circa Trinitatem imputantur, referente *Augustino* cap. jam citato *Filium scilicet, & Spiritum Sanctum esse creaturam*, itidem illa quæ referuntur ab Augustino „*Quod Filius Dei sanctis comparatus veritas sit: Patri collatus mendacium: & quantum distat Apostoli Christo, tantum Filius Patre.* Unde nec orandus est Filius cum Patre, quia non est author indulgentiarum petitionum, sed supplicator *ibid.* August. mitto inquam, quia istorum examen nos longius a proposito avocaret. XXXI. Hæc

XXXI. Hæc somnia Originis fufius à nobis observata sunt, Quod faciat ad institutum nostrum Noffe, ex quibus fontibus Pythagoreorum scilicet, Platoniorum, & horum Discipulis Origene & aliis, ament plerumque *Recentiores Judei*, & ex istis omnibus simul *Pontificis* hodierna complurima sua dogmata haurire & obtrudere; quamque foedos in errores & deliriorum portenta pronum sit & facile labi statim ac neglecto Dei verbo affectant sibi sapere homines & indulgere suis cogitatis. Novi non defuisse *Origeni* suos defensores, saltem qui in multis, Si non ipsius dogmata, ipsum saltem excusare annitantur, imputantes ipsius Errores præjudiciis quæ *Juvenis* adhuc in Scholâ *Platonica* hauserat, & præservido ipsius in oppugnandis Hæreticis ingenio; Quodque multa dicta & scripta sint ab eo, non *dogmaticè*, verum *problematicè*, & exercitationis aliorum causâ, idque animo pio & bono, Sectans allegoricos sensus non duntaxat quia *Platoniorum* Philosophorum libros evolverat queis mirificè afficiebatur, sed quod putaret istis facilius sui ævi Doctos ad Religionem *Christianam* pelliciendos. Quod etiam horum quæ offendunt, partem maximam, dubius & hæsitans protulerit in medium. Quod *Origenis* libri illi quibus præ aliis errores continentur, non in communem Ecclesiæ, sed in privatum amicorum usum scripti fuerint; nec ab ipso, sed ab aliis editi in lucem; quâ de re etiâ conquestus sit. Denique, plurima ipsius scripta foedè ab *Hæreticis* fuisse corrupta & adulterata; fuisse ipsius multa intexta quæ authoris non essent. ad quod observatur tanquam omni animadversione dignum, ex autore Prædestinati quem edidit *Jacobus Sirmundus*, Hæresi 43. *Ampullianum* quemdam hæreticum Bithynum in eam incurrisse hæresim, ut diceret *Omnes criminosos cum Diabolo & Dæmoniis eo usque in Gehenna decoqui, usque quo puri redditi, possint inde mundi & immaculati egredi.* Quapropter

propter cum uniuersam Ecclesiam aduersus se commouisset, vitiatos à se libros *Origenis*, & eos præcipuè qui sunt *περὶ ἀρχῶν*, in sententiæ suæ præsidium protulisse. *Huetius* in *Origenian.* lib. 2. Quæst. xi. §. 23. Nollem Ego horum omnino affectum Erga *Origenem* improbare. Certum enim est Quod libro 1. *περὶ ἀρχῶν*, initio capitis 6, de rerum consummatione, deque pænis damnatorum ac Beatorum præmiis acturus, istis verbis, modestè præfetur:

„ *Qua quidem à nobis cum magno metu & cautela dicuntur,*
 „ *discutientibus magis & pertractantibus, quam pro certo ac*
 „ *definito statuentibus. Nec ipse Hieronymus Epistolâ statim*
 „ *citata, diffitetur addidisse Origenem iis quæ ibi dicuntur*
 „ *Hæc juxta nostram sententiam non sint dogmata; sed Qua-*
 „ *sita tantum, atque projecta, ne penitus intractata videren-*
 „ *tur.* Novi institutas à complurimis magni nominis viris *Apologias*, quibus *Origenes* defendendus susciperetur. Quarum excerpta nonnulla comparent apud *Photium* in Bibliothecâ codic. 117. & 118. inter illos eminent *Pamphilus Martyr*, *Eusebius*, *Ruffinus* aduersus *Hieronymum* & alii. Quare circâ multa quæ ei imputantur ἐπίτηδες, vir moderatus posset, ad id incitatus quod quidem passim reperiantur in ipsius libris contraria istis quæ ipsi imputantur dogmatibus. reprimere possent *Origenis* condemnandi in omnibus enumeratis capitibus usque aded præcipitem cui sese complurimi tradiderunt, affectum Ea verbi gratia quæ apud ipsum leguntur in negotio felicitatis æternæ piorum, libro 3. *περὶ ἀρχῶν* capite 6. In quo statim, inquit, etiam permanere semper & immutabiliter creatoris voluntate est credendum, fidem faciente sententiâ Apostoli dicentis: *Domum habemus non manufactam æternam in Cælis.* Hæc enim si vera sunt *Origenis* verba, nec ea de suo *Ruffinus* interpret, (quæ est nonnullorum suspicio) attexerit, Quomodo stabunt circâ tale negotium imputata ipsi dogmata?

Sic

Sic si non in facta quæ leguntur apud ipsum Tractatū 34. in Matth. Nullus enim ignis inter Homines est æternus, sed nec multi temporis; extinguatur enim cito. *Æternus autem ignis est ille, de quo & Esaias dicit in fine Prophetia sua: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguatur;* Nulla tum demum impiis erit speranda salus, ex *Origenis* mente; Illa tamen inter ipsius Errores numeratur. An procul omni dubio, & seclusâ omni hæsitatione, supposititia dicetur *Epistola illa ad amicos Alexandrinos*, quâ conqueritur & succenset *Origenes*, jactatum fuisse in vulgus se dicere *Patrem malitia ac perditionis, & eorum qui de Regno Dei ejiciuntur, idest Diabolum, esse salvandum: quod, inquit, ne aliquis quidem mente motus & manifestè insaniciens dicere potest?* Sane istis, ejusmodi dogma *Origenes* tanquam falsò sibi adscriptum ejurat, idque omni conatu. Suffragantur quæ habet lib. 8. in *Epistolam ad Rom.* ubi *Luciferi casum à lapsû Israëlitarum differre asserit. Illorum, inquit, vel in fine seculi conversio erit, tunc cum plenitudo Gentium subintraverit, & omnis Israël salvus fiet: Istius autem inquit, qui de Cælo cecidisse dicitur, nec in fine seculi erit ulla conversio.* Hæc non impediunt tamen, quin viri magni qui accuratius utrinque dicta pensitarunt, portentosa illa dogmata tanquam *Origenis* accusarint, & dixerint hausta ex impuris fontibus, & condemnarint. Non dubitavit ea ipsi imputare pia antiquitas; *Concilia integra; Augustinus* quomodo vidimus *Hæresi 43.* in isto, de quo præcisè hic agimus negotio, arguens circuitus illos beatitudinis & damnationis sempiternos. &c. *Severus Sulpitius* asserit, eum in illâ parte, quâ probatur, neminem post *Apostolos* habuisse æqualem; in eâ verò, quæ jure reprehenditur, neminem deformius errasse. hinc dictum de eo: *ubi bene nemo metius: ubi male nemo pejus.* *Ista Hieronymi ad Avitum de Origene, omnium sunt in ore, in eo detestanda esse quam-*

D

pluri-

plurima, ibi inter Scorpiones & colubros incedendum. Nec vete-
teres solum sed & recentiores Sic fuerunt Erga Orige-
nem affecti. Testibus auditis, Clarissimus Huetius, qui in
excusando Origene alioquin vix quidpiam pro animo be-
nevolò, prætermisit, non potest à se impetrare quin il-
lum, inquit, manifestum erroris habeat in questione de pœna-
rum & beatitatis perennitate: multa tamen, pergit ille, in
ejus defensionem adduci possunt cum ex ejus deprompta scriptis,
tum apud laudatos scriptores conquistâ. in Origenianis. lib. 2.
quæst. xi. jam citatâ. Sic porrò. Halloxium nro. Origeniana-
rum partium insignem patronum qui non vult aliter Orige-
nem intelligendum quam si penitus liberatione Diabolum,
damnatosque homines privasset, arguens, Exceptioni Quoties
dicit Origenes Diabolum posse salvari, intelligendus est dicere
ex parte natura non ex parte malitia; sive quod natura ejus
non sit repugnans saluti. Hoc enim tenebant Valentiniani. re-
ponit Huetius, Quam levis sit hæc excusatio, satis, nisi fallor,
probatum est superioribus testimoniis, quæ non utroque, sed
absolute & simpliciter felicitatem Damnatis & Demonibus polli-
centur. ibid. è Nostris Venerabilis Beza in Epist. 28. Ori-
genem pro Scriptore omnibus modis impuro habet, sive in-
quit, ita ipse scripsit, sive depravata postea fuerunt ejus scripta,
ut nullam in Ecclesiâ auctoritatem in rebus controversis merea-
tur. Alibi citante Clariss. Riveto, (qui Bezæ in tali judi-
cio adstipulatur Critici Sacri lib. 2. cap. 12.) „ Sane, quod
ad me attinet, Origenem istum non possum bonâ conscientia in-
ter eos Patres collocare, quos velim imitari. Itaque non pude-
bit illius errata passim refellere nullo obiectandi studio; Sed
quod impurum Scriptorem exoptem aut lectorum manibus excu-
si, aut summo cum judicio tractari. ad ista Rivetus, Hac non
immeritò Venerabilis Beza subjungit. Proferam ad huc duos
etiam in rem eandem testes Pontificios, Baronium, &
Bellarminum ipsum. Sic ergò Baronius Annal. Tom. 2. ad
an-

annum 256. Sect. 40. Miratus sum inquit ille, „vehe-
 „menter post damnationem Origenis ab Anastasio PP. Pontificia
 „auctoritate inflicta, post ejus reprobationem in 6. Synodo pro-
 „nuntiatam, post tot antiquorum Patrum in id ipsum conspiran-
 „tes sententias, ad huc recentiores quosdam ausos esse pro eodem
 „novas edere Apologias, & au. horitate totius Ecclesie Catholi-
 „cae judicatas controversias de novo temere excitare. quod visus
 „fecisse haud pridem Sixtus Senensis. Bellarminus de Scripto-
 „ribus Ecclesiasticis, in Origene, postquam ex Basilio, Epi-
 „phanio, Hieronymo, & 5ta Synodo (etiam dicta πενθέτη,
 „idest Quinifexta, Quia quod deerat quintae, observante Bal-
 „samon, replevit,) ostendit Origenem pro haeretico fuisse habitum,
 „ita habet. „Hac praemittenda (inquit) existimavi. propter eos,
 „qui Origenem defendere vel excusare conantur, quales fuerunt olim
 „Eusebius in lib. 6. Ecclesiast. Historiae, & in Apolog. pro
 „Origene, quam nomine Pamphylis Martyris edidit; & qui Euse-
 „biius imitatus est Rufinus, qui etiam Apologiam pro Origene scrip-
 „sit. Deinde paulo ante nostram aetatem eandem defensionem susce-
 „pit Johannes Picus, & nostro tempore Gilbertus Genebrardus.

XXXII. Non possumus Ergo satis mirari Bellarmi-
 num, qui dum agnovit somnia Origenis; sententiamque
 illius nullas nisi poenas purgatorias post hanc vitam agnoscenti-
 tis, easque omnibus impis hominibus & Daemonibus com-
 munes, condemnatam à pia Antiquitate, & percussam
 anathemate in concilio œcumenico, corradat tamen ad suum
 purgatorium, quod toto caelo à purgatorio Origenis affirma-
 vent determinari, ex Origene testimonia. Vix auderet quis
 credere nisi apud Bellarminum de Purgat. lib. 1. cap. 10. §.
 Origenes, ex ipso Origene descripta cerneret.

XXXIII. Disputat adversus Calvinum libro 3. Insti-
 tut. cap. 5. §. 10. dicentem de Purgatorio Pontificiorum, adeo
 nihil asseruisse Patres, ut pro re incerta haberent. Pontificios
 vero ea qua de Purgatorio somniarunt, pro fidei dogmate habe-

ri, idque sine quaestione postulare. Id vocat Bellarminus intolerandam *Calvini* impudentiam, vel imperitiam; Nam inquit, in primis etiamsi nusquam nominassent *Purgatorium*, tamen satis intelligi poterat, quid Patres de eo sentirent ex eo, quod iam perspicue docent animas quorundam fidelium egere refrigerio, & juvari orationibus viventium. Postea productis ad suum *purgatorium* compluribus testibus, vult *Calvinum* arguere falsi. Inter hos Testes sub auspiciis *Bellarmini* comparet *Origenes*. *Origenes* inquit Homiliâ 6. in *Exodum* ait: *Qui salvus fit, per ignem salvus fit, ut si quid fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resolvat, ut efficiantur omnes aurum purum.* Nosti *Bellarminæ* mentem *Origenis*; An putas Ergo seriò suis illis, tuum istud habuisse in animo *purgatorium* confirmare? Istud sanè si reputer, qui potest à te ignorari contra te sicut contra sententiam *Origenis*, latam fuisse à pia antiquitate, & eâ quam citabas statim *OEcumenicâ* Synodo condemnationis sententiam? jam antè tempora Synodi, non placuisse dogma *Origenis* *Ecclesiæ* catholicæ, tibi in mentem si non minus fuisses attentus, revocare potuisset *Augustinus*. Si non reputer, qui intendis, eo tuam tueri sententiam testimonio, quo non nisi invidia tuo dogmati, immò indignatio apud Christianos omnes conciliari potest? *Dogma Origenis*, inquit *Augustinus* de *Hæresibus* cap. 43. *De Purgatione, Catholicâ, non recipit Ecclesia.*

XXXIV. Si res ad vivum resèctetur, cogetur *Bellarminus* ejurare *purgatorium Origenis* eâ parte quâ reprobis & Diabolis tandem elutionem pollicetur; quâ vitiorum habitus ait eradicari; ab utroque enim isto, sat scio, *Bellarminus* abhorret, — agnoscens *purgatorium* tantum quo *temporaria* pœna, quarum jam culpa remissa est, expientur; quâ de re sua somnians *Origenes*, nullus videtur prorsus cogitasse. Profitebitur *Bellarminus* suum *Purgatorium* non esse

esse omnium; quomodo *Origenis*, *Suf vim*, non ad *Corpora*, sed *animas* tantum, idque iis quæ *Resurrectionem antecedant* temporibus, non quomodo voluit *Origenes*, sequantur, pertingere. consulantur quæ ex *Origene* Homil. 3. in Psalm. 36. Homil. 8. in Numer. Homil. 6. in Exodum producta hætenus. Quid Ergò superest ex *Origene* quo se tutetur *Bellarminus*, nisi *Platonicum dogma*? Non ergò ita prudenter contra *Calvinum*, dogma Pontificium impetentem, instructus *Origenis testimonio* prodit *Bellarminus*. Istud inde nos capimus commodi, quod, is imprudens, fontes undè sua illa, & qui faciunt cum ipso hauserint, detegat; Et pro Divino dogma merè *Pythagoricum Platonicum & Origenianum* ostendet, & obrudat. Tu rem intento digito *Bellarmine*, indicasti, & hoc à nobis ut omni animadvertione dignum ad institutum nostrum, observatur. Nec immeritò, nec illepidè dictum sanè, *avaritiam* fecisse homines in tali *pyrotechniâ* doctos, & extruendo illo igne industrios, tantâ arte, ut nihil desit nisi Dei verbum & sanatio; Examini tamen verbi divini dogma ita ad territandas conscientias comparatum subjici mereretur, quo probaretur; sed exploratum lydio illo lapide minus sese approbat ex Dei verbo sapientibus.

XXXV. Hoc in causâ est cur non magni faciamus illa omnia *Patrum* loca, *Gregorii Nysseni* videlicet, & aliorum quorum scriptis *Origenicam* illam labem jam pridem insedisse a viris Doctis observatum est; utpote quæ aliam prorsus quam quæ à Pontificiis existimatur, peccatorum purgationem adstruant, deinde extra *Scripturas* commenta eloquantur.

XXXVI. Quam multiplici in isto genere à *veteribus* erratum fuerit errore, suis etiam temporibus, monuit *Augustinus* *Enchirid.* cap. 67. de *Civit. Dei* Lib. 21. capp. 18. 19. & sequentibus; etiam alibi. Aliis statuentibus, si non

ipsos quidem *Damones*; omnes tamen *homines* aliquandò sal-
 vatam iri, vel ex solâ Dei bonitate, vel etiam ex piorum,
 totiusque Ecclesiæ post resurrectionem pro eorum salute
 precibus; aliis, non universos quidem homines *servari*;
 sed tamen ex humano genere omnes, qui Baptismum &
 Eucharistiam suscepissent, apud quoscunque Christianos
 fuerit; aliis, salutem promittentibus iis tantùm qui in Ec-
 clesiâ catholicâ, non autem apud Hæreticos, solo lavacro
 initiati fuerint; aliis, hanc præterea addentibus conditio-
 nem si in externâ Ecclesiæ communionem perseverarint;
 aliis denique, non alios ad spem salutis admittentibus,
 quàm eos, qui & perseverassent, & dedissent Eleemosy-
 nas. „ *Augustinus* (utar verbis Doctissimi Joh. *Dalla*, qui
 tractatû de *pœnis & satisfactionibus* lib. 4. cap. 8. accuratè
 isthæc omnia persequitur,) contra ista omnia deliria acri-
 „ ter neque uno loco pugnat consertâ cum iis, qui illa de-
 „ fendebant manû; quos *humanâ quadam benevolentia de-*
 „ „ *ceptos* fuisse ait; fufequè ostendit neminem æternæ salu-
 „ tis fore unquam compotem, nisi qui verâ *fide ex dilectione*
 „ „ *operante* præditus fuerit; adeòque cum Sacramentorum
 „ „ perceptione, ac externâ veræ Ecclesiæ communionem,
 „ „ sanctimoniam quoque, ac charitatis & justitiæ studium
 „ „ conjunxerit. Ac præter cætera loca, in quibus Vir San-
 „ ctus istos oppugnat, librum de *fide & operibus* propriè &
 „ „ & ex instituto contra eos scripsit. Cæterùm non diffimu-
 „ „ lat quosdam fuisse etiam Catholicos, qui si non alias,
 „ „ certè duas postremas ex istis sententias tuerentur. Sic enim
 „ ait Enchirid. cap. 67. *Creduntur à quibusdam etiam ii, qui*
 „ *nomen Christi non relinquunt, Et ejus lavacro in Ecclesiâ Ba-*
 „ *ptizantur, nec ab ullo Schismate, vel heresi præciduntur, in*
 „ *quantilibet sceleribus vivant, qua nec diluant pœnitendo,*
 „ *nec eleemosynis redimant, Sed in eis usque ad hujus vite ultimum*
 „ *diem pertinacissimè perseverent, salvi futuri per ignem, licet*
 „ „ pra

pra magnitudine facinorum, flagitiorumque diuturno, non tamen aeterno igne puniti. Sed qui hoc credunt, & tamen catholici sunt humanâ quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam Scriptura divina aliud consulta respondet. Ibi ostendit Dallaus hosce contra quos insurgit Augustinus, tria isthæc credidisse. 1°. Homines illos qui conditiones memoratas habuerint *Salvatum* in tandem, licet flagitiosam & sceleratam vitam in Terris ad mortem sine ullâ verâ poenitentia egerint. 2°. Voluisse tamen Ejusmodi flagitiosos, & impoenitentes, admissos ad salutem, antequam adipiscerentur sibi concedendam salutem, illos ipso illo *Gehenna igne*, quo in ultimo iudicio punientur mali, pro criminum suorum modo atque ratione tantisper cruciari, donec scilicet omni labe purgati essent. 3°. denique omnes illos, quomodo hodiè Pontificii, ad tuendum suum quemque in particulari errorem, ab usos esse loco Pauli 1 Cor. 3. 15. *Servabitur, sed tanquam perignem.*

XXXVII. Adversus horum deliria constanter nos illud Augustini reponendum existimamus, *falluntur isti, Scriptura Divina aliud consulta respondet. Non loquuntur Scriptura de igne in gehennâ expiatorio peccatorum eorum qui futuri salutis aliquandò compotes.* immò hosce omnes habemus invictè confutatos ex locis Matt. 25. & Apoc. 20. jam citatis; quibus possumus adjungere ex Esaia cap. ultimo versum ultimum *ignis eorum non extinguetur.* ex Galat. 5. versum 21. *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Eph. 5. 5. Istis enim locis non Dæmones solum, non homines Ethnici solum, aut hæretici. Sed etiam Catholicici flagitiosi puniendi esse sine ullo sine dicuntur. Nec favet magis causæ Pontificiorum *alius quidam ignis* quem sibi post resurrectionem finxere complurimi Veteris Ecclesiæ Patres. Isti nimirum igni subjecerunt eos qui coram Tribunali Domini ultimo die sistentur, voluntque

eo probandos & examinandos omnes; & vi illius bonos discernendos à malis, optimos à mediis, ut si quid vitii bonis ex anteaactâ vitâ inolitum ac concretum adhæserit, id statim purgatrice illâ flammâ consumatur. hæc fuit *Lactantii*, *Ambrosii* & aliorum sententia; Sed tali igni ipsimet *Pontificii* hodie & meritò adversantur. Nec potest is ad confirmandum Pontificiorum purgatorium, utpote qui ex mente veterum illorum, non antè resurrectionem, quod volunt Pontificii, sed post locum habiturus sit, proferri, proindeque prorsus ab igne illo Pontificio alienus reputari debet. Nec dissimulat *Bellarminus* lib. 2. de *Purgatorio* cap. 1. *Aliqui inquit, Patrum per ignem non intelligunt ignem Purgatorii, sed ignem divini judicii, quomodo loquitur Paulus 1 Cor. 3. cum ait uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.* Agnoscit sponte *Cl. Huetius* talis ignis originem verè esse *Origenianam*; citans enim *Origenianor.* lib. 2. §. 8. locum *Lactantii* ex lib. 7. cap. 21. *justos cum judicaverit, etiam igni eos examinabit, tum quorum peccata vel pondere vel numero prevaluerunt, prestringentur igni atque comburentur: Quos autem plena justitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient, talia habet, „ in „asserendo igne qui justos in fine rerum itidem ut impios „invasurus ab Origene fingitur, ipsi consensit Lactantius. Eadem habet ad ista Hilarii desumpta ex Canon. 2. in Matth. Baptizatis in Spiritu Sancto reliquum est consummari igne judicii. Sic de Ambrosio; postquam enim citavit ipsius verba ex sermone ad Psal. 36. Igne Ergo purgabuntur Filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel. & postea. Salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem; etsi non exuremur, tamen uremur. Istis Huetius subnectit, „Quæ sequuntur „ex Origene manifestè translata sunt. Quomodo tamen alii remaneant in igne, alii pertranseant, docet nos Scriptura Sacra: nempe in mare rubrum demersus est populus Aegyptiorum,*

rum, transit autem populus Hebraeorum, reverà transitus istius discrimen comparatione transitus Hebræorum & Ægyptiorum per mare rubrum Origenem explanasse, supra ex *Philocalia* cap. 26. & ex *Homiliâ* 6. in *Exod.* vidimus. Quicquid sit ut jam dictum, Ea quæ die judicii fiet ex mente *Ambrosii, Hilarii, & aliorum* Lustratio per ignem, nihil habet cum igne *Pontificiorum* Purgatorio commune. Iñis hinc diserte diem judicii nominantibus, & significantibus purgationem post resurrectionem carnis omnibus in corpore & animâ, etiã Sanctissimis, *Johanni, Petro, Beatissimæ Mariæ* communem: lustrationem probatoriam, non punientem, non pœnas queis pro peccatis satisfiat infligentem, non cruciantem quomodo Purgatorii ignis; Sed purificantem, & amburentem, quosdam perstringentem duntaxat, & lambentem; idque eo tempore, quo Pontificii non amplius suum illum ignem arsurum, sed desitutum & extinctum in se profitentur, & à quo Sanctissimos illos quosque eximunt, subjicientes illi hos duntaxat, qui cum alioquin pii & in Christi sanguine justificati fuerint, hinc tamen, vel cum venialibus peccatis, vel cum pœnæ mortalis alicujus delicti debito discesserunt. Quare nihil juvat causam *Pontificiorum* hinc à *Bellarmino* & aliis truncata ex istis Patribus quos ipsi in isto negotio insimulant Erroris, [vide *Bellarminum* lib. 2. de Purgatorio cap. 1. §. *Primus* & sequentibus.] loca in acervum congesta & prolata fuisse magno conatû & apparatus tantquam argumenta & testimonia veritatis. Quid hoc aliud quam facere fucum imperitis, & apud oculos prodere perfrectam frontem? Non possum hoc cum nostris, [nostro inter cæteros *Dallao*] satis mirari, & obstupescere.

XXXVIII. Sed inquit *Bellarminus* [ubi supra lib. 1. de Purg. c. 10.] *Etiãsi nusquam Patres nominassent Purgato-*

gatorum; tamen satis poterat à Calvino intelligi, *Quid de eo Illi sentirent ex eo, quod tam perspicuè docent animas quorundam fidelium egere refrigerio, & juvari orationibus viventium.* Sed nulla hæc est Bellarmini consequentia. Nam orant pro Mortuis Græci, & peccatorum remissionem iis à Deo adpostulant; non idè isti purgatorium admittunt Pontificiorum. hoc unum volunt Græci, peccata fidelibus etiam remitti post mortem; hoc à Deo fieri interdum, credunt; non idè fideles illos, etiam mortuos illos, esse in Purgatorio ubi dent pro peccatis poenas, agnoscunt. De illâ fide Græcorum constat ex Leone Allatio, Dissertat. 2. de libris Ecclesiasticis. Nec renuit, immò confirmat Richardus Simonius è congregatione Oratorii, in *Notis uberioribus in opusculum Gabrielis Severi Philadelphiae Antistitis de particulis.* §. 15. „verum quidem est, inquit Leonem Allatium permulta ex Græcorum præsertim recentioris ævi libris in hoc opus transtulisse, quæ id suadeant. Imo Gabriele nostrum Philadelphiensem producit ita sententem, cujus sunt hæc verba. *Cum ad hæc usque tempora sententia postrema atque universalis in peccatores lata non est, infernus invenitur reſeratus, & infinita Dei misericordia ad miserendum parata; quapropter anima non tantum ob effusas pro illis ad Deum preces remissionem accipiunt & consolationem, sed absolutam libertatem, & liberationem à poenis.* Hæc Simonius. Bene quidem subnectit, *Origenianam esse istam de poenis damnatorum sententiam.* Nos non negamus. sufficit ad institutum nostrum, non procedere consequentiam Bellarmini à precibus pro mortuis ad Purgatorium Pontificium. confirmant sententiam nostram Quæ à Simonio adduntur ex Allatio, Ipsum animadvertisse Græcos Posteriores, ut ita de poenis infernis sentirent fecisse Patrum, Synodorumque testimonia, quibus Purgatorium fateri compellebantur. Quare ne universa Patrum testimonia de medio tollere viderentur, in perniciosam

Orige-

Origenis sententiam abire maluisse quam Purgatorium cum Ec-
 clesia Romanâ libere agnoscere. Nihil inde contra nos. Si non
 sufficiant ista ad dignoscendam sententiam Græcorum, Peni-
 tibus cognoscetur ex libello quem citat ibidem Simonius,
 „ Libello inquit de Purgatorio igne, quem Bonaventura Vulca-
 „ nius Græcè & Latine editum ad opusculum Nili de primatu Pape
 „ adjecit. Locupletissimus est testis iste, inquit, & omni ex-
 „ ceptione major cum stet à Græcorum Schismaticorum partibus,
 „ Latinorumque sententiam de Igne Purgatorio in eâ oratione acer-
 „ rime impugnet. Et quod imprimis animadversione dignum est,
 „ Ecclesie suæ fidem Latinorum doctrina opponit, & utriusque
 „ partis argumenta expendit; imò universis illius orationis con-
 „ textus, cum in Concilio coram Latinis ab homine rithus Gra-
 „ canici habitam fuisse demonstrat. Epitomen talis Orationis
 Simonius profert. inter cætera ait, Quod Anonymus iste
 Unum ex mente Græcorum, in Scripturâ ignem, cum-
 demque æternum, non Purgatorium in Scripturâ stabiliri
 adstruat, & metuat si temporarius aliquis ignis dicatur,
 [ignis scilicet Purgatorii] ne fideles eundem cum æterno
 reputent, atque hinc in Origenis errorem prolabantur,
 æternique supplicii memoriam animis suis excutiant finem
 poenæ statuentes. improbet anonymus ille Gregorii Nysseni
 Antistitis sententiam, quæ favere videtur evasioni è poenis
 inferni & ἀποκατάστασι; siquidem ejusmodi dogma de re-
 dintegratione perversum & hæreticum sit, ab Origenianis
 hæreticis profectum, condemnatum Quinto Concilio tan-
 quam Ecclesiæ perniciosum, & bonis remissionem animi
 inducens. ὡς λυμαντικὴ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν σπαδαίων ἐιλυτικὴ
 δόξα. „ Concludit Simonius Scriptorem istam anonymum
 „ cum reliquâ Schismaticorum turbâ ignem Purgatorium non
 „ agnoscere: in eo verò ab iis discrepare quod, etiam non
 „ agnoscens cum illis poenas Inferni purgatorias, Liturgiis
 „ & precibus mortuos juvari non diffiteatur. Sed Quare Si-

monius hic tantum Græcos Schismaticos commemorat, hoc est ex ipsius mente Ecclesiæ Latinæ ofores & hostes, sive non totum Ecclesiæ Græcæ corpus, sed ex illo pauciores nonnullos? Sanè de tota Græcorum Gente, res *Simonio* non deberet esse obscura, si vel ipsum *Bellarminum* id agnoscentem, imò autoritate *Thomæ* probantem lib. 1. de Purgat. Cap. 2. consulisset, „idem inquit, tribuitur Error Armenis & Græcis à Guidone Carmelita in *summa de Hæreticis &c.* credibile est Græcos de hac hæresi saltem fuisse suspectos: nam B. Thomas in opusculo contra Græcos refellit etiam hunc errorem, & probat Purgatorium esse; & in concilio Florentino Sess. ultimâ damnatus est idem error, cum tamen in eo Concilio solum damnati sint errores Græcorum, aut certè de quibus Græci suspecti erant. Sic Bellarminus. Hæc sufficiunt nobis, ad ostendendum quàm nulla sit, saltem ex mente Græcorum, Bellarmini adversus *Calvinum*, ducta consequentia. Quantumvis enim illi Quorundam peccatorum remissionem post obitum hominibus à Creatore indulgeri agnoscant, Etiam eò inclinent ut tribuant ejusmodi remissionem puræ Dei misericordiæ quam commoveant & excitent preces Ecclesiæ, abhorrent tamen ab admittendo idèd Purgatorio Pontificio; imòd quamvis concederetur ab ipsis impetrari remissionem istam aliquâ castigatione adhibitâ, dicunt inquirendum adhuc superesse *Qualis sit illa castigatio, mœrorisne, & doloris simpliciter; (quæ fuit Augustini suspicio) An Custodia & caliginis; An denique ignis, quæ est Latinorum sententia?* Hanc esse Græcorum mentem evidentissime confirmavit Noster *Dallera de Pœnis & satisf.* lib. 5. pag. 439. prolato in medium insigni loco *Nili Archiepiscopi Thessalonicensis, de Purgatorio* p. 120. (is Seculo 14. circà annum 1355. floruit) *Græci* inquit, optimè totam hanc Quæstionem distinguunt. Πρώτον μὲν inquiunt, ἐστὶ ζητητέον, Εἰ τινῶν — ἀμαρτιῶν ἀφε-

σις μετὰ θάνατον ἀνθρώποις παρὰ τῆς κτίσαντος χορηγεῖται. δευτέρου
 δὲ εἰ διὰ κολάσεως, ἢ ἀπλῶς τῇ θεῷ Φιλανθρωπία, καὶ ταῖς ἐκκλη-
 σίας ἐλεεῖμενος λιταῖς, εἰ δὲ διὰ κολάσεως, πότερον ἄλλης τινος κα-
 θάρσεως οἶον εἰρητιῆς, ἢ ζόφου τε καὶ ἀνίας, ἢ καὶ ἐξ ἀνάγκης πυρός
 καὶ τέττε σωματικῆς, ὁ ποῖον ὑμεῖς διατένεσθε, *Primum quidem*
quaerendum venit, An quorundam peccatorum remissionem post
obitum hominibus creator largiatur. Secundo an punitione adhi-
bita, an simpliciter divinâ benignitate, Ecclesiaeque precibus pla-
catus. Si autem per punitionem, utrum aliâ quâpiam expiatio-
ne, videlicet carceris, vel caliginis, & doloris, vel etiam ne-
cessario ignis, atque hujus quidem corporei, qualem vos affirma-
tis. rem postea Græcus ille author accomodat suo insti-
tuto & ostendit locis v. g. 2. Maccabæorum cap. 12. ψλ. 43.
& nostro illo loco Matth. 12. 32. ubi de Blasphemiâ in Spi-
ritum S. remissionem quidem peccatorum quibusdam vi-
tâ functis concedi; Quonam vero modo, & an per pu-
nitionem, & quidem illam per ignem, non meminisse
 locos illos in universum τὴν ἀφῆσιν ἀμαρτημάτων μετὰ θάνα-
 τον χορηγήσεσθαι τισιν ὅτω δὲ τρόπῳ καὶ εἰ διὰ κολάσεως, καὶ τάν-
 τῃς διὰ πυρός, ἢ δὲ ὑπερφαινέσθαι ἴλας. Pergit. ἔτι γε μὴν ταῦ-
 τα τὸ καθαρτήριο πῦρ οὐκ εἰσάγσειν ἕδαμῶς, καὶ ἡλίς φανώτερον.
 τί γὰρ κοινὸν ἀφῆσει καὶ καθάρσει διὰ πυρός καὶ κολάσεως; ἢ γὰρ
 κολάσεως ἢ ἀφῆσεως χρεῖα, καὶ ἔχ᾽ ἅμα ἀμφότεν. Porro quod hæc
Purgatorium ignem non inferant, Sole clarus est: Quid enim
commune est remissioni cum purgatione. Aut enim punitione, aut
remissione, sive condonatione opus est, & non simul utraq̃ue. Ex istis
colligimus inter Græcorum & Pontificiorum sententias di-
scrimen. Græci, (quod nefas putant Pontificii,) existimant post
mortem non repugnare remitti peccatorum tum Culpatum
pœnam; atque aded, pro iis peccatis quæ viventibus
non sunt dimissa, ut impetretur illis & culpæ & pœnæ
remissio, fundi preces posse. Neutrorum sanè probamus sen-
tentiam, utramque existimamus alienam à scripturis,

haustam utramque ex hominum fontibus impuris. neque à Mōse & Prophetis sub veteri Testamento, neque à Christo & Apostolis sub Novo, traditam. Non minus utriusque, hīc inter se collatio, convellendæ consequentiæ Bellarminianæ a precibus pro mortuis ad Purgatorium summo procedentis, inservit, & institutum nostrum confirmat.

XXXIX. Sed an non Bellarminus ipse, suæ illius consequentiæ futilitatem sat confirmavit, dūm conceptis
 „ verbis lib. 2. de Purgat. cap. 5. §. *Duo*, ait, licere pro mor-
 „ tuis Dominum precari, ne scilicet in iudicio extremo cadant
 „ illa in obscurum, neve absorbeantur à Tartaro; Etenim, inquit,
 „ Etsi anima Purgatorii jam acceperint primam sententiam in
 „ iudicio Particulari, eaque sententiā libera sint à Gehennā, ta-
 „ men adhuc superest iudicium generale in quo Secundam senten-
 „ tiam acceptura sunt. Quocirca, inquit, Ecclesia orans, ne iu-
 „ dicio extremo anima illa cadant in obscurum neve absorbeantur
 „ à Tartaro, non orat pro eā re, quam accepit, sed pro eā quam
 „ acceptura est. Annon hæc quæso suprā memoratam Bel-
 larmini consequentiam convellunt? Possunt enim, etiā
 ex mente Bellarmini, preces pro mortuis alicujus esse usūs,
 ad ea nempe a Deo impetranda quæ pendent a Sententiā
 in ultimo illo generali iudicio audienda, cui non duntaxat
 subijciendi illi sunt, qui ex mente Bellarmini fuerint in
 Purgatorio, sed Omnes illi & Sancti, & Martyres, &
 confessores, qui nunquam flammæ Bellarminiani illius
 Purgatorii experti sunt; Si Ergò Græcus aliquis qui negat
 Pontificiorum Purgatorium, agnoverit duntaxat usum
 precum pro mortuis relatè ad ultimam illam Supremi Ju-
 dicis sententiam, repudiarit verò somnia Pontificiorum
 de precibus pro mortuis è purgatorio eruendis, Annon conse-
 quentia Bellarmini nutabit? Et sanè rem sic hodierni Græci
 interpretantur: Negant illi Purgatorium. Τὸ κωλύει, inquit
 Νίλος, ἡ Πέτρα, καὶ καθάρσει διὰ πυρός καὶ κολάσεως; ἢ γὰρ κολά-
 λεί-

λάσεως, ἢ ἀφέσεως χρεῖα, καὶ οὐκ εἶμ' ἀμφοῖν. dicunt idē
 juvari precibus mortuos: *Quia nondum Deus dedit Demo-*
nibus plenam in mortuos potestatem, & sic Patres illos quorum
 autoritate nititur Bellarminus interpretantur. Saltem hæc
 est sententia *Zacharie Gergani* Episcopi *Artenfis* apud *Ca-*
ryophilam pag. 332. quem citavit *Simonius*, licet cum *Elogio*
Græculi somniantis, (nec miror dum *Græculus* ille *Pontifi-*
ciorum causam, cujus *Simonius* defensor, insectatur.) Ὅτι
ὁ Πατριάρχης, inquit, (suo illo idiomate vernaculo) δὲν πρέ-
 πει νὰ βάνουσι λογαριασμοὺς ἀπὸ τῶν πατέρων διὰ τὸ καθάρτηριον,
 ὅταν λέγουσι νὰ — προσεχόμεθα διὰ τῶν νεύρων. διὰ τὸ οἱ ἅγιοι
 λέγουσι. πῶς βοηθοῦσι τοὺς νεύρους οἱ προσευχαῖς, ἐπειδὴ καὶ ὁ θεὸς
 δὲν ἔδωκεν ἀκομητῶν δαιμόνων ἐξουσίαν ἀπλήν εἰς τοὺς ἀποθανομέ-
 νους. Non debent *Papista* proferre *Sanctorum* auctoritatem, cum
 dicunt orandum esse pro defunctis, & ex hoc inferre *Purgatorium*
 dari: Nam sancti idē dicunt mortuos precibus juvari: *Quia*
Deus nondum dedit Demonibus plenam in mortuos potestatem.

XL. Vult quidem Bellarminus preces pro mortuis ad
 usum *duplicem* adhiberi, liberationem nimirum ex pur-
 gatorio, dein à sententiâ damnationis in extremo judi-
 cio ferendâ. *Græci* usum posteriorem tantū agnoscunt;
 Nullo hætenū Bellarminus priorem comprobavit argu-
 mento, quū suam à *precibus pro mortuis ad purgatorium*
 nexuit consequentiam. Eatenus Ergò negari potest; &
 quomodo à *Græcis*, ita ex mente *Veterum Patrum*, poterit
 illa à nobis negari; Quousque confirmarit Bellarminus
Veteres illos (posterioris enim ævi Scriptorum aliud potest
 esse iudicium uti ex infra dicendis patebit,) adhibentes
 preces *pro mortuis*, ad priorem illum usum respexisse. hoc
 sanè erit Bellarmino difficilioris operis.

XLI. Primò enim quod attinet ad tempora *Aposto-*
lica, & iis proxima; difficilè admodum probaverit Bel-
 larmine tunc usitatum fuisse vel *pro mortuis* orandi mo-
 rem.

rem: constat de *Io*, nec apud *Iustinum*, nec *Irenaeum* qui secundo seculo floruerunt, injectam reperiri mentionem, ut ut *Errori Chilastarum*, de quo nos statim, una cum *Papia* Hierapolitano Viro apostolicis temporibus proximo, quem *Irenaeus* *Johannis* auditorem & *Polycarpi* Sodalem vocat, faverint. *Papiam* enim opinionis illius authorem refert *Eusebius* *Hist. Eccl. lib. 3. cap. 39.* Nec etiam ex istis, in eam rem *Bellarminus* quicquam protulit. Nec nisi à paucis inter Eruditos hodie impetrabit assensum, dùm *Clementem*, & *Dionysium* qui vixere Apostolicis temporibus in tali causâ profert, adductis in testimonium Scriptis, quæ Romanarum partium etiam Theologis cordationibus spuria ac suppositicia videantur. Ita ut ex mente horumce Eruditorum, argumentum *Bellarmini* ductam ex *Oratione pro defunctis*, *Clementis* constitut. lib. 8. cap. 48. memoratâ, sponte cadat, & nullius sit roboris. de tali circa constitutiones apostolicas tributas *Clementi*, judicio, consuli possunt *Baronius* tom. 1. *Annalium* ad ann. Domini 32. *Peronius* lib. 2. de *Eucharistiâ* cap. 1. *Albaspinus* *Aurelianensis* observat. *Ecclesiast. 1. c. 13.* *Petavius* in *Notis ad Epiphan.* ad *Hæres. Audianorum*; & alii Eruditi, quos *Natalis Alexander* *Doctor Theol. Parisiensis*, hîc appellat testes. Sic de scriptis hodiernis *Dionysii Areopagite* ea esse spuria & Apocrypha, non *Erasmo* duntaxat, *Scaligero*, *Casaubono*, *Dalleo*, *Blondello*, *Riveto* & nostris omnibus, pertuasissimum est; sed è Pontificiis prioris *Notæ* viris, *Laurentio Valla* civi & *Patricio Romano*, *Cajetano Cardinali*, (uterque ad *actorum Apost. cap. 17.*) *Calio Rhodigino* *Antiquar-Lect. lib. 2. c. 3.* *Jacobo Sirmundo* *Jesuitæ*, *Petavio*, *Johanni Lannojo*, *Antonio Godello* *Vinciensi Episcopo*, *Doctissimo Morino* de *Ordinat.* Denique *Clariss. El. du Pin* *Theol. Fac. Doctori & Profess.* *Regio* qui novissimè scripsit: istis inquam, Quomodo nostris, constitui extra dubium omninò videtur hosce qui hodie leguntur *Dionysii* Libros, non esse ab Authore

thore *evi Apostolici* scriptos; sed factum esse *recentioris* cū-
 juspiam, quā fuerit *verus Areopagita* temporibus Aposto-
 licis æqualis, immò ab ipso Paulo ad fidem Christianam,
 quomodo ex Act. 17. v. 34. patet adductus. Rationes
 pro eā sententiā petuntur validæ, 1.º ex silentio totius
 antiquitatis circā illa scripta, ante seculi Quinti initium.
 hoc fatetur silentium ipse *Natalis Alexander* ut ut talia
 veluti *Dionysii Atheniensis* genuina propugnare etiam ho-
 die sustineat. id fatetur itidem *Bellarminus* de Script. Eccles.
 in *Dionysio*. Etiam asserit atque contendit *Areopagitica* ist-
 hæc, quæ nunc extant, totis prioribus quinque & ul-
 trà seculis Orbi Christiano planè penitusque fuisse ignota;
 quanquam pugnet Ea vere fuisse à magno illo *Dionysio*
Atheniensi, Discipulo Pauli scripta; Sed alicubi inquit la-
 tuerunt; ut multa alia sæpè longo tempore delitescunt; & postea
 tandem reperta sunt. 2.º mirantur omnes, Quod *Eusebius*
Pamphili scripta *Patrum* enumerans, nullam horum fecerit
 mentionem. Nec etiam *Hieronimus*; licet *Veterum* libros
 accuratè collegerint & conquieserint, etiam minoris notæ
 Scriptorum. 3.º videtur exsuperare captum, Quomodo
 Ejusmodi libri narrationem sigillatim texant *traditionum*
 illarum quæ in Ecclesiâ per incrementa, & diuturni tem-
 poris tantum creverunt spatia, & in eâ sensim post *Areo-*
pagita tempora invaluerunt. vide *Godellum* Hist. de l'Eglise,
 liv. 1. an. 99. pag. 125. 4.º stupent omnes, Epistolam
Ignatii ad Romanos, in ejusmodi libris citari: cum con-
 stet *Dionysium* obiisse sub Imperio *Domitiani*; *Domitianus*
 autem occisus est anno Christi 96. regn. 15. m. *Ignatium*
 verò sub Imperio *Trajani*, & paulò ante mortem
 suam, illam Epistolam conscripsisse. *Trajanus* autem mori-
 tur an. 117. regn. 19. an. 6. m. Putant Docti, (hæc
 sententia *Doctiss. Dalleri*, cui adstipulatur *Ellias du Pin*)
 primum locum in quo scriptoris *Areopagitici* fiat mentio,
 F
 occur-

occurrere apud *Innocentium* Episcopum *Maronia* civitatis, in eo commentario in quo *collationem* quandam, *Iustinianè* Imperatoris iussu à Catholicis, præside *Hypathio* Metropolitâ Ephesino cum *Severianis* hæreticis, Constantinopoli habitam anno 532. (ut putat *Baronius*) describit. Apparet Ergò in *Collationis* illius ab *Innocentio* descriptis Actis, quod cum *Severiani* Catholicis quædam objecissent velut à *Cyrillo* & *Athanasio*, & *Foelice*, & *Julio* & *Gregoriò Thaumaturgo*, ac denique à *Dionysio Areopagita* tradita atque constituta; *Hypathius*, ad ista responderit, (vide *Baronium* §. 38.) Quæ *Cyrilli*, & *Athanasii*, & *Fælicis*, & *Julii*, & *Gregorii* esse *Severiani* significabant testimonia, ea falsa esse omnia, & ab *Apollinaristis* hæreticis jam olim vel ficta, vel corrupta & adulterata. Quod attinet ad loca *Arcopagita* citata; responsum à Catholicis, *Quæ vos Dionysii Areopagita dicitis Testimonia unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dico? Quando & B. Athanasius si pro certa scisset ejus fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversus Arianos diversa substantia Blasphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea; unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio. Hæc hæctenus Hypathius. vide *Baronium*, concil. Tom. 3. Ad isthæc, ita commentatur *du Pin* in *Nova Bibliotheca**

„ Sic tunc temporis loquebantur *Catholici*. Hosce postea cum
 „ sibi obvios datos libros vidissent; nec in iis fidei con-
 „ traria deprehendissent, illos admiscere sine examine mul-
 „ to. Fuere tamen semper *Critici*, qui de istis dubitarent.
 His & aliis ejusmodi argumentis persuasi, credimus libros illos non posse ejus esse cujus nomen ementiuntur *γυναικός*.
 Et omnino putamus, quod si tamdiu (quod vult *Bellarminus*) delituis-
 sent *Arcopagitica* illa scripta, & tùm demum seculo 5.º vel 6.º reperta; *Illius ævi* viri *Docti* de reperto
 tanto

tanto thesauro multa retulissent, ubi invenerint, quomodo factum sit, quâ scripta manû, quibus exarata characteribus, quâ ætate, quâ formâ, & alias ejus modi circumstantias, quas commemorare necesse fuisset, ne repertores talia dissimulantes scripra illa confinxisse accusarentur. Non cognitas autem *Severianis* hæreticis, qui primi ex omni antiquitate testimonia ex *Areopagiticis* citasse memorantur ejusmodi circumstantias; hinc patet, quod *Hypathio* testimonia inde petita ut dubii & incerti authoris refutanti, nihil hæretici illi ad confirmandam librorum illorum fidem reponerent. Sed quid plura? Si quidem *Bellarminus* ipse, de scriptis *Areopagita* titubanter loquatur, lib. 2. de *Confirmatione* cap. 7. §. jam vero. ibi disputat adversus *Kemnitium* objicientem multos Patres & authores qui citantur pro Sacramento *Confirmationis*, esse Apocryphos & supposititios. At id, inquit, nihil est. Nam etiamsi *Epistole citata Melchiadis, Eusebii, & Urbani, nec non Liber Dionysii Areopagita, homilia Eusebii & Sermones Cypriani de operibus Cardinalibus Christi, sint apud nonnullos dubia scriptura, vel etiam supposititia: tamen multos habemus alios certissimos & probatissimos authores: Et isti ipsi sunt antiquissimi, & optimi, licet non sit certum, An sint illi, Quorum nomina præferunt. Hinc conficimus de precibus pro Mortuis, quasi obtinuerint temporibus Apostolicis vel iis proximis, ex nullo, non in particulari etiam, vel ex *Clemente*, vel ex *Dionysio*, quos tamen testes hic *Bellarminus* appellavit, posse liquere.*

XLII. 2°. Quod attinet ad tempora quæ aliquo interposito temporis intervallo Apostolica exceperunt; non negamus illis solemne fuisse ac familiare orare pro mortuis. Sed non ideò confirmabitur ducta à precibus tunc pro mortuis usitatis, ad *Purgatorium Pontificium*, temporibus illis creditum, consequentia. Et Sanè infregit vim illius consequentiæ ipse *Bellarminus* uti jam dictum est, pariter ex

istis, quæ lib. 2. de Purg. cap. 18. habet, & ex Innocentio
 3. Pontifice Romano ibi confirmavit, posse nimirum mor-
 tuis, iis etiã qui in cœlo jam regnant, prodesse Eccle-
 siæ suffragia, sive offerri Deo sacrificium pro *Apostolis*,
Martyribus, *Prophetis* &c. Offerri nimirum pro *Sanctis*,
 non ut eis aliquid petamus, inquit; Sed, ut pro collata
 illis gloriã, Deo gratias agamus. Pergit. „ad reliqua rel-
 pondet *Innocentius* dupliciter. *Primo*, cum Ecclesia petit
 gloriam Sanctis, qui regnum Cœlorum jam possident;
 non petere, ut illi in gloriã crescant; sed ut apud nos glo-
 ria eorum crescat; id est, ut toti Mundo gloria eorum in-
 notescat, & illi ubiquè magis & magis glorificentur. *Se-*
cundo, non videri absurdum si petamus illis augmentum
 gloriæ alicujus accidentalis. Adde *Tertio*, fortasse peti
 gloriam corporis, quam habebunt in die *Resurrectionis*;
 Nam [inquit] Etiam si gloriã illam certò consequen-
 turquæ debetur illorum meritis; tamen non est absur-
 dum hoc illis desiderare, & petere, ut pluribus modis
 debeat. Potuere isthæc à *veteribus* complurimis; non
 idedò statim *Pontificiorum* dogma de *Purgatorio*, quod liquet
 satis ex dictis, admitti. Negat *Bellarminus* eos omnes, pro-
 quibus fiunt oblationes aut preces esse in *Purgatorio*, ex men-
 te illorum qui fuderunt ejusmodi preces; Quis Ergò po-
 tuit esse sibi conscius iis omnibus testimoniis, quæ magno
 numero protulit, suum illud dogma posse apud nos confir-
 mari? Putarunt istis à *Bellarmino*, [nec diffiteris,] mor-
 tuos ab ore *Leonis* liberari, & *Tartari* faucibus eripi; iis glo-
 riæ augmentum tum in terra, tum in ipso cœlo conci-
 liari; quæri iis, aliquid juris in beatam resurrectionem:
 An Ergò; quæ ad ista putantur preces mortuis utiles, illico
 ideo *purgatorii* adstructivæ, ex mente Patrum, reputan-
 dæ fuerunt?

XLIII. Quid Ergò, si ulterius persequentes institu-
 tum

tum genuini fontes *precum pro mortuis* apud *veteres* detegantur, & ostendatur qualemcunque fuerint illæ, *nullas* fuisse Pontificiorum *Purgatorio*. Hoc sanè Theologi nostri *fufius*, & diligentius *executi*. *Triplicem* fontem ejusmodi *precum* commemorant *1^{um}* assignant communem *Vetustissimorum* ferè omnium *sententiam de Anima extra Coelum* ante corporum *Resurrectionem statu*. *2^{um}* complurimorum, etiàm ex *Antiquissimis*, de *prima resurrectione* & *Christi Regno in terris* resurrectionem illam consecuturo, *dogma*. *3^{um}* denique *Opinionem* plerorumque *Veterum de Igne omnes omnino Homines*, etiàm *Sanctissimos*, *ultima die probaturo ac purgatur*: demonstrantque nostri, [consulatur inter cæteros *Cl. Dallens* de *pœnis & Satisf.* lib. 5. cap. 3. & seq.] luce *meridianâ* modo *clariori*, ad *tria illa* veterum illorum *pro mortuis preces* ferè omnes pertinuisse; ibique *Veteres* illos, *defixisse* suos animos; & horum aliquid cogitasse, *cum pro mortuis precabantur*. Sed non eadem nostri, quâ *Pontificii*, procedunt *methodo*. *Explodunt Veterum* commenta, quæ etiàm *Pontificii* hodie damnant, & hoc nobis & *Pontificiis* eatenus commune est; Sed non *figmentorum* novitiis *veritati Evangelicæ* qualis hodierna de *Purgatorio* *sententia*, *exitibus*, *scripturarum doctrinam*, quomodo illi, *Erroribus veterum*, ut ut ex parte *rejectis*, sua *somnia inædificantes*, *adulterant*. *Negant nostri præfractè*, *Veteres* illos quantumvis *triplici* erraverint *errore* memorato, *ideò Purgatorium Pontificium* agnovisse, & *admisisse*. *De statu* quidem *animæ extrâ coelum* ante *resurrectionem* *cogitatio*, potuit esse *Occasio* fundendi apud *Deum* *preces* in *gratiam* talis *animæ*; *Erroris* proindè, *fateor*; non *ideò* talis, quo inducerentur ad *credendum* *animam in igne*, ad *satisfaciendum* *justitiæ divinæ*, eo modo quo ex mente *Pontificiorum* vidimus, *ustulari*; si quidem *locus ille animæ à Veteribus* putaretur *refrigerii & quietis*, non *cruciatu* & *dolor*.

loris status. hunc ided alicubi *Tertullianus* vocat *Sinum A-*
braba refrigerium animabus iustorum prabiturum. lib.4. contra
 Marcion. c. 34. alibi, *expectanda resurrectionis solatium;* Lib.
 de animâ c. 55. eoque pertinerent unice *preces* fusæ ut in
 ibi asseruaretur anima procul ab omni miseriâ & afflictio-
 ne, præsertim adversus hostis ultimo die, extremo etiam
 furentis conatû, molimina & insultos, fieretque tandem
 beatæ *resurrectionis* particeps atque compos. Quicquid sit
 ex talis sententiæ hypothesei *Orandi pro Mortuis* causa sub-
 erat, si quidem vel maxime perfectos nondum *Cælum &*
Ultima consecutos existimarent. Fuit occasio Erroris pari-
 ter *Chiliasarum*, de Christo scilicet ante ultimum diem in
 Terram descensuro, & Hierosolymis ad annos mille regna-
 turo somnium, quo tempore futura esset & *prima* Sanctorum
resurrectio, non simul & semel sed suo ordine, horum ci-
 tius, aliorum tardius pro variis sanctitatis & meritorum
 gradibus; ita ut *resurrectionis morâ*, in pietate atque chari-
 tate Sanctorum segnities atque tarditas lueretur; Usque
 dum *priorem* illam *resurrectionem*, *Ultima* omnium, & *uni-*
versale *Judicium* exciperent. Fuit inquam tale figmentum
 complurimis *precum pro mortuis* stabiliendarum, *Occasio*,
 singulis in gratiam defunctorum suorum, primas partes
 & anteriores in illâ millenniali felicitate & Christi Regno
 apprecantibus. Quid habuit hoc cum Purgatorio consenta-
 neum? Errandi denique circa *preces pro mortuis* occasio fuit
 plerorumque è vetustissimis sententiâ de igne illo *dominicum*,
 id est ad examinandum comparato, quo *supremâ* die omnes
 in vitam revocatos probandos sibi finxerunt & eluendos
 sive potius purgandos in generali illo incendio *Scoriis* iis,
 quæ fortè ex anteactâ vitâ eorum naturæ inolitæ ac con-
 cretæ superfuerint. Erat enim ex ipsorum mente impetran-
 dum a Domino ut ipsius bonitas deletis horum in terribili
 illâ die peccatis, ipsos tutos præstaret; Nec ignis in omnes
 susci-

fuscitatos exarsurus, eos absumeret, Sed illæfos prætermitteret.

XLIV. Non nostri nunc est propriè instituti convellere *triplicem hunc Veterum Errorem*: obiter tamen. sufficit si modo triplicem illam obtinuisse olim apud illos sententiam evicerimus; hinc enim De triplici Erroris in negotio precum pro mortuis, Fonte; sed non de ullâ è tribus illis sententiis, quæ *purgatorio Pontificiorum* faverit, constabit. De *primâ* sententiâ liquet ex inspectione *historie Eccles.* Sed nequis cui frons foret durior neget, *Duos* proferemus tantum ad rei compendium, in medium magnæ apud adversarios autoritatis testes quos nobis Præstantissimi Nostri Theologi *Andreas Rivetus, & Joh. Dallæus* indicarunt. *Scapletonum Theol. Doct. & Script. in Academia Lovaniensî Professore Regium.* „*Tot illi, inquit, De autoritate script. lib. 1. cap. 2. Et tam celebres & antiqui Patres, Tertullianus, Irenæus, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, Clemens Romanus, Bernardus, huic sententiæ (quæ in concilio Florentino magnâ conquisitione factâ, ut dogma fidei definita est) quod Iustorum animæ, ante diem iudicii Dei visione frunntur, non sunt assensu, sed sententiam contrariam tradiderunt. Alterum Testem habemus Sixtum Senensem Papæ Biblioth. lib. 6. Ann. 345. qui supra memoratis addit Iustinum Martyrem, Lactantium, Victorinum, Prudentium, Aretham, Euthymium, & Joannem Papam, & authorem Liturgia quæ Jacobi nomine circumfertur, in quâ ista leguntur, (extat illa tom. 5. operum Chrysostomi) Præterea, offerimus tibi rationalem hunc cultum pro in fide requiescentibus, Patribus, majoribus, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, præconibus & Evāgelistis, Martyribus & Confessoribus, & continentibus & omni Sp. in fide initiato. præcipuè pro sanctissimâ immaculatâ, & super omnes benedictâ Dominâ nostrâ Deiparâ, &*

seno

semper, *Virgine Mariâ*. Ut verè dignum est & justum glorificare te *Deiparam* &c. ad *Locum Stapletoni* ita *Rivetus* summæ controv. Tractatu. 2. Quæst. 43. §. 6. commentatur. Hi omnes cum fidelium mortuorum antè resurrectionem beatitudinem negarint, non est mirum si pravo huic fundamento, ab ipsis Pontificiis rejecto, innitentes; pro mortuis orarint; imò etiam pro sanctissimis preces & suffragia obtulerint. Pergit deinceps ad *Liturgiam Chrysofostomo* adscriptam, *Hac oratio* hodie inquit in *Ecclesiâ Romanâ* contumeliosa haberetur. Ex ejusmodi autem apparet in *Veterum Scriptis*, preces pro mortuis non presupponere purgatorium; sed *Moram* resurrectionis, quam extrâ *Dei* visionem imaginabantur. Vides igitur, longè satius esse mortuorum post hanc vitam statum ex *Scripturâ* discere, quam eum ex tantâ *Patrum allegorizantium* opinionum varietate petere, qui tamen tale purgatorium, quale hodie pro articulo fidei obtruditur, non crediderunt. Hæc facimus omninò nostra *Viri præstantissimi* verba, & ex memoratis testibus *Stapletono* & *Sixto Senensi* putamus liquere, (quomodo & ex rei in *Scripturâ* nobis revelatâ veritate,) argumenta *Bellarmini*, ex testimoniis *Veterum* illorum, in causâ *Purgatorii* ducta, nullius esse roboris. Nec ii sanè sumus qui vereamur affirmare illos omnes *Patres*, quicumque tandem illi fuerint, qui reclamantibus *Scripturis*, negarunt justorum animas ante diem *Judicii* frui *Dei* visione, in gravissimo fidei errore versatos esse; Etiam si nullum adhuc contrâ ipsorum sententiam publicum *Ecclesiæ* iudicium quod demùm in *Concilio Florentino* factum *Pontificii* clamitant, prolatum fuerit. Quod fuit post concilium *Florentinum* fidei dogma; non minùs fuit autè, etiam si iudicio *Ecclesiæ* non definiretur, definitio enim *Concillii* non invehit in dogmate fidei mutationem; *Deo* loquenti auscultare atque obtemperare jam primùm debuerunt; multis autem confirmarant testimoniis *Scriptura* *Sanctorum*

animas cum primùm migrant è corporibus, deferri in Cæ-
 los, & gaudio & felicitate *summâ* frui; quod fieri, si à
 conspectû divino secludantur & submoveantur nequiret.
 Quare culpandi illi, quod auditionem atque assensionem
 cohibuerint; culpandi itidem illi qui etiamnum hodie ab
 audiendo Deo abstinendum esse sibi inducerent in animum
 credere, quo usque *Ecclesia*, audiendum esse Deum, con-
 stitueret. Facit quidem iudicium *Ecclesiæ*, si verò consen-
 taneum fuerit, ut qui post tale iudicium sciens contrâ sen-
 tit, erret inexcusabilius; non facit ut qui antè illud iudi-
 cium sensit aliter; non errasse videatur: hoc modo *Patres*
illos errasse existimamus. Subit ergò mirari *Bellarminum* in
 Errore *Veterum*, immò Errore, *Causæ Purgatorii*, veteribus
 illis per omnia incogniti, nequaquam favente, voluisse
 quærere præsidium!

XLV. De Alterâ sententiâ quæ *Chiliasitarum* fuit,
 testantur *Papias* [quem *Eusebius* hujus opinionis authorem
 scripsit, uti supra dictum est,] *Iustinus* contrâ *Tryphonem*,
Irenæus quem itidem *Eusebius* in isto versatum errore dixit
 loco supra citato, *Tertullianus* lib. 3. contrâ *Marcionem*
 cap. 24. p. 499. *Ambrosius* de fide resurrect. *Lactantius*
 & alii qui talem sententiam secuti sunt. testantur itidem
 ii omnes, iique numero complurimi è Patribus, qui istud
 dogma confutarunt ut repugnans scripturis, præsertim in
 eo capite quo ex mente *Cerinthi*, carnis voluptates in
millenario Christi regno fruendæ afferebantur; quod disertè
 Christus Matt. 22. convellit, in resurrectione, neque nubent
 neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei. Repugnantibus
 ei etiã dogmati istis quæ Matt. 24. & 25. habentur,
 quibus Christus post enarratam *Antichristi* persecutionem,
 statim iudicium describit in quo selectos ad æternum regnum,
 non ad *Terrenum* invitât: *venite benedicti Patris mei possi-*
dete paratum vobis regnum à constitutione mundi &
G
ibunt

ibunt in vitam aeternam. tale etiam Christi futurum Regnum Angelus Virginem adiens nuntiavit Luc. 1. 33. Regnabit in domo Jacob in aeternum, & regni ejus non erit finis. Quae ultima verba urfisse Concilium 2. oecumenicum Constanti-
nopolitanum videmus, dum ista Nicano symbolo addidit
Cujus Regni non erit finis.

Ex iis, qui hoc dogma confutarunt, duos tantum missis aliis [magno sane numero,] in medium proferam Hieronymum in Praefat. libri 18. comment. in Esaiam; & Augustinum lib. 20. de Civit. Dei cap. 7. „Apocalypsim Johannis, inquit Hieronymus, si juxta literam accepimus, judicandum est; si spiritualiter, ut scripta est, differimus, multorum veterum videbimur opinioni contraire; Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii; Graecorum, ut ceteros omitam, Irenaei tantum Lugdunensis Episcopi faciam mentionem: Adversus quem Vir Eloquentissimus Dionysius Alexandria Pontifex elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem Templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbathi, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum Gentium servitutem: rursusque bella, exercitus, atque triumphos, & superatorum neces, mortemque centenarii peccatoris; cui duobus voluminibus respondit Apollinarius: quem non solum sua secta homines, sed & nostrorum in hac parte duntaxat, plurima sequitur multitudo: ut praesagiente mente jam cernam, quantum in me rabies concitanda sit. Quibus non invideo, si tantum amant terram, ut in regno Christi terrena desiderent, & post ciborum abundantiam, gulae ac ventris ingluviem, & ea quae sub ventre sunt, querant. Haec opinio inquit Augustinus, Esset utcumque tolerabilis, si aliqua delicia spirituales in illo Sabbatho affuerunt Sanctis per Domini praesentiam crederentur. Nam etiam

nos hoc opinati fuimus aliquandò. Sed cum eos qui tunc re-
 surrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus Epulis va-
 caturus, in quibus cibus sit tantus ac potus, ut non solum
 nullam modestiam teneant, Sed modum quoque ipsius incre-
 dulitatis excedant: nullo modo ista possunt nisi à carnalibus
 credi. Hi autem qui Spirituales sunt, istos ista credentes,
 χιλιάδας appellant Græco vocabulo; quod verbum è verbo
 exprimentes nos possumus Millenarios nuncupare. Non pos-
 sum à me impetrare quin Hieronymo, & Augustino hic &
 Basilius Magnum Epist. 74. ad Occidentales Episcopos adjun-
 gam. Is Apollinarii istius de quo meminit Hieronymus, er-
 rorem his verbis infectatur. Scripsit & de resurrectione
 quadam fabulosè, imò judaicè composuit; in quibus dicit
 nos iterum ad cultum à lege præscriptum reversuros; ità ut
 iterum & circumcidamur, & Sabbathum observemus, &
 cibus in lege prohibitis abstineamus, Sacrificiaque Deo offera-
 mus, & in Templo Hierosolymitano adoremus, atque profusus
 ex Christianis Judæi reddamur, quibus quidnam poterit
 ridiculum magis, imò alienius ab Evangelico dogmate dici?
 Observandum tamen plerosque veteres illos qui isti Mille-
 nariorum sententiæ fuerunt addicti, non eodem modo
 omninò cum Cerintho millenarium Christi Regnum in
 terris intellexisse, & exposuisse: Nec enim Templi Hie-
 rosolymitani instaurationem, nec circumcisionis, & cæ-
 terorum legalium observationem urserunt omnes; quod
 proprium erat Cerinthi commentum. Non potuerunt illi
 non attendisse ad libertatem nobis in Christo partam. Sic,
 ut ut abusi loco Apocalypseos cap. 20. ubi Regnum Christi
 millenarium cum sanctis adstrui videbatur, promptum fuit
 ipsis ibi loci observare, non Templum in novâ Hierusalem
 instaurationem doceri, contra disertè asseri nullum futu-
 rum Templum in eâ. Et Templum inquit, non vidi in eâ;
 Dominus enim Dominus omnipotens templum illius est, & Agnus.

Quia nonnulla ejusmodi cum Sententiâ *Cerinthi* discrimina in Sententiâ Patrum ab *Hieronymo* observata fuerant, idè paulò ergà eos æquior visus est. *Licet non sequamur inquit, tamen damnare non possumus; Quia multi Ecclesiasticorum virorum, & Martyres ista dixerunt: ut unusquisque in suo sensu abundet, sed Domini cuncta iudicio reserventur.* Hieronym. in cap. 19. *Jeremie.*

XLVI. Quod attinet ad *Tertiam* sententiam de igne *donuicium*, ad examinandum post resurrectionem corporis comparato, fufius nos suprà §. 37. dum *Origenianum* fuisse dogma, non inservire tamèn Pontificiorum *Purgatorio*, ut ut *precibus pro mortuis* suppeditarit deinceps occasionem adstruximus. Quodque obtinuerit ejusmodi sententia, Nec adjuvet *Pontificiorum* commentum, res est evidentior quàm ut ulteriori indigeat confirmatione. Quare concludimus *Generales illas Veterum pro mortuis omnibus preces*, vel *ad unam aliquam* ex his tribus sententiis, vel ad *tres illas simul*; quicquid sit, ad *aliud quid* maximè à *Purgatorio Pontificio* diversum, debere referri. Atquè adeò *Orasse pro mortuis Veteres*, eo animo tantùm, ut iis scilicet vel *in inferis*, vel *in sinu Abraha solatium*; vel *in primâ resurrectione sortem*; vel ut *adversus ultimi iudicii flammam presidium*; vel quod volunt nonnulli, *in Terris honestam famam*; vel ad *beatissimam atque ultimam resurrectionem jus*; vel denique *in supremo iudicio misericordiam atque divinam clementiam impetrarent.* Non verò ut ex *Purgatorio Pontificio*, quod antè *Gregorii Romani* (is scripsit anno Christi 595.) & *posterioris ævi* hominum visiones & deliria putatur ignoratum, animæ educerentur.

XLVII. Reverà talis figmenti nulla vel in *Symbolis Veterum*, prioribus sex seculis, vel *fidei Expositionibus*, vel denique *Conciliis* mentio occurrit: Non ibi præmittendum tamèn fuisset tale dogma, si tunc cognitum, vel

vel ab *Apostolis* traditum haberetur. Nec sanè *Conciliū*
OEcumenici Quinti Patres dùm *Origenis* Errores, & pri-
 vatam ipsius de *pœnis infernalibus* (quas omnes *Purgatorias*
 statuebat, & *damnatis* omnibus, etiam *cacodaimombus* vo-
 lebat esse salutare) sententiam condemnarunt, de eo tacuif-
 sent. Debuissent enim, si quas illi agnovissent post mortem
purgatorias pœnas, illas ab *Origenicis* distinguere seduld; fuis-
 setque illis religio confundere verum cum falso, & commu-
 ni feruisse anathemate fidem *Ecclesiæ*. De eo tamen antè
Concilium Florentinum anno 1439. Sub *Eugenio quarto*, nul-
 lum publicum ac generale occurrit Decretum. Quare se
 Ea *Nostrorum* omnino nobis approbat cogitatio, [vide *Dat-*
laum de pœnis & satisf. lib. 6. cap. 13.] Tum primum *Se-*
culo Sexto sub finem, & *Gregorii Primi* Romani Episcopi tem-
 poribus, jacta fuisse *Purgatorii Pontificii* fundamenta; &
 deinceps, admissum à plerisque *Occidentalibus* dogma, se-
 cutis temporibus; Quum scilicet *veterum* deliria, de *Ani-*
ma post mortem extra cœlum statu, deque *primâ* ad millena-
 lenariam in terris felicitatem *resurrectione*, ac de *omnium ul-*
timo die judicii per ignem probatione displicere inceperunt,
 & mox convulsa nutarunt, tandemque apud *Latinos* pas-
 sim explosa & pœnè ab omnibus deserta fuerunt. Quia
 enim *Ejusmodi* recepta veteribus dogmata invexerant *pre-*
cum pro mortuis usum; sublato semel fundamento quo *ri-*
tus ille innitebatur, tunc quæri cæptum est, Quis proin-
 dè foret *ejusmodi precum* usus? *Dogmata* ex quibus *orandi*
ritus ille profluxerat, abigere non ità difficile erat; ut po-
 te quæ in *Doctorum* libris reperirentur tantum; *preces* ve-
 rò *ipsas*, in usu quotidiano, imò summo studio, & mag-
 no consensu, receptas *abrogare*, longè erat difficilius: nec
 hoc etiam quidem *utile* videbatur; insidebat quippe ho-
 minum animis, tam *publicum*, tam *universalem usum*, vix
 aliundè quàm ab *Apostolicâ* aliqua *traditione* profluxisse.
 Quare deinceps, sublatis pristinis illis in quibus *preces pro mor-*

his steterant fundamentis, de suffulciendo alia ratione isto ritu qui invaluerat, nec aboleri consultum videbatur, cogitatum & prospectum est. In genere sancitum est, utilissimas esse ejusmodi preces; nec de earum fructu esse dubitandum; arreptum avidè, quod dubitans tamen & ex occasione tantum dixerat Augustinus, Quæri posse nimirum, An animabus de seculo exentibus supersit aliquod reatum quas impensus in mundo dilexerant, desiderium, arcumque doloris velut ignis? & id, pro certo constitutum est: verum, quia is ignis de quo Augustinus, non ita verisimilis tunc maximè videretur ubi illa cui innititur, de animarum in abditis receptaculis detentione Opinio incipiebat exolescere; nec etiam purgandis Spiritibus sufficiens, Novus Ignis omni hæctenus inauditus antiquitati, [nisi in quantum veteribus incautius credita de novissima fidelium post resurrectionem purgatione, cui Platonici suis cogitatis præiverant, potuerant errori isti momentum aliquod attulisse] fingi cœptus est; Ignis scilicet Purgatorii, quo post-mortem in subterraneis, animæ antequam Cœlo excipiantur excoquantur & purgentur, quomodo jam sæpius supra dictum est.

XLVIII. Hoc ad Purgatorii istius historiam & incubula protulisse operæ pretium visum est, quo Christum loquentem de peccato quod in Seculo futuro non remittitur, non idèd dedisse de Purgatorio Pontificio cogitandi occasionem, adstrueremus, Et evinceremus. Sic itaque Recentiores Judæos, quandoquidem illi nihil nisi insana, & Platonica sapiunt extra scripturas, & contra Scripturas; iisdem rationibus, propter quas rejici posse merito Judæos Veteres in Erroribus suis, sub finem prioris Dissertat. diximus, illos omnino negligimus, & prorsus nihil moramur. Parijure Pontificios delirantes; qui in inanibus suis commentis, & anilibus circa ignem Purgatorium nugis & ineptiis audiantur deinceps, in tanta luce Evangelii, indignos omnino Reputamus.

Mantiffa Respondentis.

- I. **S**icuti maxima violatio conscientia, inter peccata maxima eminet: ita maximus angor conscientia inter pœnas maximas.
- II. Hinc sequitur 1.mo, creatura rationalis tale peccatum parantis annihilationem potius dicendam fore gratiam, quam pœnam.
- III. Sequitur etiam 2.do, incertitudinem illam gratia, quam Pontificii statuunt, & incertitudinem illam perseverantia in gratia, quam docent alii, adversari planè solido illi gaudio & fiducia firma, que fluit ex conscientia verè bona in verè Fidelibus.
- IV. Interpretatio Scr. S., vel iudicium discernens voluntatem Dei, pertinet ad quemlibet in foro conscientia, pro semet ipso.
- V. Siquidem omnis homo in testimonio suo potest esse mendax, idcirco fides humana non habet suam naturam certitudinem infallibilem, (Ergo & Papa Romanus potest mentiri, imò, quod probant exempla, saepe mentitur, & per consequens non predicandus infallibilis Scr. S. interpret, aut de Religione disputationum iudex) quamvis sit fides humana, que moraliter loquendo, evidens & infallibilis censetur, ut quòd Roma sit, quòd Indi sint &c.
- VI. Sed quia Deus est omnimodo verax & Veritas ipsa, idcirco fidei Divina non potest subesse falsum.
- VII. Hinc sequitur lumini Divino, videlicet rationi in quantum à Deo est, & Revelationi (qualem agnosco in libris Moysi, Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum Divinitus datam,) & veritatibus ab illis propositis omnimodò credendum & assentiendum esse.

(19.)

A D

*Præstantis Ingenii atque Eruditionis
laude Ornatissimum*

JUVENEM

D. JOHANNEM EMMONEM EMMIUM.

De peccato in Sp. S. Disputantem

EPIGRAMMA.

Qui cupit externâ virtutis imagine laudem;
Is vani fastus præmia vana cupit.
At meritis fidens, quicumque admittit honores,
Judice me, Tecum, quod sibi plaudat, habet.

L. M. Q. P.

CHRISTOPHORUS JOHANSZON,

Montanus.

דימנן הוא יתיבנא ומעינא בשמעתתא
והוא קרנא מפשעא לרוחא קדישא ועד השתא
לא שמע לי אמאי פשעא הדא רבנא
שלא ימחל לאדם בעיה ולא בעולם הבא
והוא בעינא דהו לרבנן שעשאו פירושיהם
על כל התורה כולה אבל מצאתי שכל א' וא' מהם
אזל למעמיה ולא השיבו דעתי בתירוציהם
ע"כ אמרתי הלא ייתי מאן דהו משיבותיהם
דידיע ליה צורתא דשמעתתא ופרש לי פירושו
יצתה בת קול ואמרה הסתם יתגלה כשמש בשמושו
לההוא צורבא טרבנא כי יש איש גדול בתורתו
של מקום איש מהולל עממיו שמו יצו
שיתרץ על כל קושיות שיקשו נגד פלפלתו
של מהרר האוסקור שכתבה לפי סברתו
חוק ואמץ לקרא בה וכל ספקך יתבררו לך:

In Honorem Doctissimi Respondentis posuit

G. STELLMAN SS. Th. Stud.

No-

Nobilissimo Ornatissimo

DOMINO

JOHANNI EMMONI EMMIO

Hujus Disputationis Defendenti

Diversis diversa placent, cecinere poetæ:

Et quod amat pulchrum Cræsus & Irus habet:

Alter alii canes, Veneris sectatur amorem.

Alter & amplexûs nuda puella tuos.

Huic placet innocuos gladio pulsare lapillos;

Illi Mars atrox, alea, vina, merum.

Ast hæc cuncta tibi quamvis gratissima carni

Sordent, & forti mente animoque fugis

Sunt quod alii Musæ, sunt quod sectaris honores

Quod pulsas libri, quod placet omne bonum

Clamito felicem! Victor salveto triumphans;

Salveto palmam lætus ab hoste ferens.

L. M. Q. P.
 7. C. C.
 S. N.
 T. C.

AD

A D E U N D E M.

Dic, quibus extollam Juvenem docta arte peritum;
 Dic mihi, Phæbe parens, dic mihi, Musa, modos!
 Subrisit Phœbus, pariter dixere Camænæ:
 Talia sunt humeris non satis apta tuis.
 Hæc nemo posset; non si Maro clarus in Orbe
 Afforet, & patria qui relegatus erat.
 Attamen hæcce precor liceat mihi dicere saltem:
 Omnia fausta jubet, qui tibe mittit, ave.

S. L. M. Q. P.

W. V. STAMHORST,
Amstelodamo Batavus.



E I D E M.

Est laus ingenuas tractare fideliter artes:
 Hinc aditûs faciles Heliconia culmina montis
 Scandere, Sic suavi nectuntur tempora lauro.
 Non etenim laudes aliter, non fama paratur
 Non aliter Juvenis tanta ad fastigia laudis
 Pervenit & veneranda refert hinc præmia Victor.
 Te simul huc EMMI celeri contendere cursu
 Experior, dum præclaros hos pectoris ausus
 Elicis, & Docti sic in te docta Parentis
 Fama nitet, dulces dulcis dum Palladis artes
 Unice sectaris, sic in te, mascula virtus
 Quam foret Aoniis Academica Pieris escis.

Sic canit

Amico Amicus
 JOHANNES SWARTTE

Larletto-Chancus

Ph. Et Ling. St.